

# ECHO

7

five  
JUSTISSIMA RESPONSIO

ad  
detestabiles atque execrandas planè

adversus  
SACRAM REGIAM PO-  
LONIARUM MAJESTATEM  
ELECTOREMq; SAXONIÆ,

præcipuè autem  
adversus

*Consiliarium Intimum*

Dominum de Patkul,

ab infamibus ac in desperatam

malitiam induratis

BALATRONIBUS SUECICIS,  
Libellis famosis hinc & inde disseminatas

calumnias, aliasq; plus quam barbaras

*& inter cultiores gentes inauditas criminationes;*

*adjecta brevi*

REPLICA

pro

JUSTITIA ARMORUM REGIÆ MAJESTATIS  
POLONIÆ, contra SUECIAM,

reddita

à

Veritatis amante & nulli partium studio addicto. T. S.

---

Anno M DCC V.

ECHO

TESTAMENTUM

decessantes

SACRAM REGIAM

CONIARUM MAJESTATEM

LECTORUM

Commissarius

Domini de Parkum

ad instantiam

PALESTRIS

Libelle

ad instantiam

LIBELLA

MAJESTATIS

REGIAM

Testamentum

M DCC V



§. I.



Non equidem diffiteor, bono-*Modus Re-*  
rum quorundam in Svecia ad *ductionis in*  
Fiscum *Reductiones, liquidatio-*  
*Svecia im-*  
*probatum.*  
nes, observationes, & quæ sunt  
similia Astrææ Suecicæ inven-  
ta aliquam Juris ad Justitiæ  
speciem habere, tot tamen  
abusus & tam enormes exces-  
sus horum juris remediorum  
in Svecia observare licuit, ut  
in flagella Ægyptiaca degenerarent. Sic de iis sentiunt  
omnes exteri, qui studio partium non abrepti omnem  
rem penitus cognoverunt; Quare illi qui hac occasio-  
ne detrimentum aliquod in bonis ac fortunis suis passi  
sunt, supervacaneum esse judicant, duram, inclemen-  
tem, atque injustam tractandi rationem, qua fabri at-  
que inventores hujus negotii usi sunt, pluribus expone-  
re, & ex hac hypothese longo sermone Apologetico in-  
nocentiam suam probare.

§. 2

Neque amplius ignotum est, non minori injustitia *In primis in*  
in Livonia eundem processum intentatum susceptumq; *Livonia.*  
esse. Initio quidem eo audaciæ perventum non fuit, ut  
solita Judicii forma hac in re neglecta fuerit; Propositio  
hujus Reductionis in comitiis more majorum facta; pu-  
A tarunt-

taruntque Ministri Suecici, se incolas provinciæ hujus  
 spe vi aut metu ad omnia quævis probanda, uti apud  
 alios ipsis contigit, facile inducere posse. Verum quo-  
 niam callida hæc consilia successu caruerunt, multis am-  
 bagibus ac circuitationibus postea usi sunt, donec, artibus  
 ac dolis eorum, prudenter elusis, vim majorem adhiben-  
 dam esse putarunt. Hinc Regiæ aliæque ad statum pro-  
 vinciaë spectantes Leges fundamentales, pacta subjectionis,  
 tractatus pacis, publicæ transactiones, *leges Regiæ* Jura  
 ac privilegia aliaque quæ apud omnes gentes inviolabilia  
 reputantur, violata, convulsa, rupta, extincta. Secuta  
 hinc tot rapinæ, tot expilationes, ut plures honestæ, il-  
 lustres, locupletes ac de regno Sueciæ bene meritæ fa-  
 miliaë, nullo fere viduarum, orphanorum, selectu habi-  
 to, sedibus atque opibus ejectæ atque in exsilium pulsæ,  
 more tam inaudito atque inusitato, ut plures attoni-  
 ti ignoraverint, quo colore juris id mali acciderit, vere-  
 que existimaverint, sese in sectores zonarios sive man-  
 ticularios incidisse.

### §. III.

*Declinare  
 eam ni-  
 tuntur Li-  
 voni.*

Cum *hæc* ita sint, quis homo sanæ mentis per se non  
 intelligit, quam grave molestumque sit, tam apertavi  
 patrimonio, ægre sed juste acquisito privari, lautam-  
 que rem domesticam cum pauperie ac inopia commu-  
 tare? Facile quilibet quoque videt, nisi ex parasitis &  
 aulaë adulatoribus aliquis, bene fecisse Status Livoniæ,  
 quando nihil intermiserunt, quo tantam tempestatem  
 ac extremum sui exitium, quod natura etiam abhorret  
 & omnia animalia avertere docet, declinarent.

Sic

Sic enim ab anno 1681. nunquam destiterunt per supplices libellos, variasque Remonstraciones tam singulatim quam in conventibus congregati jura sua exponere, denique ipsi Regiæ Majestati jam pie & gloriosissime defunctæ, miseriam in quam provincia redigebatur, submisse exponere, haud dubia spe freti, flebiles has quiritationes & animum ferocis Scythæ, multo magis vero pii Christiani flectere, ac inhumanos hujus violentiæ incentores inducere posse, ut Dei justam nemesein verentes, amplius impedire nolint, ut provincia hæc tam misere vexata sub regimine tam justis & æquanimi Regis, qualem Pater pie defunctis gloriosissimi moderni Regis se præstitit, à vi atque oppressione tam immani liberaretur.

§. IV.

Verum quod alias usu venire solet, non desunt plerumque consultores pessimi, Aulicis Rehabeamis similes, qui animum justis ac clementis Regis pravis ac violentis sermonibus sufflaminant, atque à semita æquitatis deflectunt, idem hic fuit studium injustorum reductionis & observationum, quas vocant, Artificum, quorum non pauci ad vallem Josaphat citati & profecti, rationem villicationis injustæ reddidituri. Non defuerunt Regiæ suæ Majestatis mite ac clemens ingenium ad querelas oppressorum indurare, eique per falsa narrata persuadere, gravamina Nobilitatis Livonicæ omniaque alia in comitiis more majorum legitime acta nihil esse aliud, quam crimina Læsæ Majestatis, perduellionis, perjurii & quicquid perfidia & calumnia alias excogitare potest, ad infantes, de quorum exitio conjuratum erat, damnandos ac perdendos.

Difficile quidem non fuit falsas has accusationes, solidis diluere argumentis, verum nil amplius hæc justificatio profuit, quam si quis pius ac Christiani nominis cultor in sangvinolentas crudelium Judæorum manus cecidisset. Neque enim e re sua existimarunt, impii hujus Processus artifices, si Regia Majestas Sveciæ ipsa causæ hujus cognitionem suscipere vellet, metuebantque ne Rex perspicacissimus fraudes ac dolos eorum propriis perlustrans oculis, prædam illis ac raptum, ex quo plurimi tantum vivebant, eriperet ac suum cuique redderet.

## §. V.

*Nobiles Livoniae durius tractantur.*

Ut tamen hæc invitis ac iratis Diis hominibusque incepta eo felicius ac liberius, paucisque renitentibus perfici possent, conspirabat hæc latronum Societas, ac mediis quibus cunque, etiam violentissimis uti, ac sangvine humano fuso institutum profequi instituebat. Hac ratione putarunt, se omnia naturæ, gentium & divina jura, quæ similem processum damnant, vincere, ac injusta præda tranquille uti frui posse; Sic in nonnullos ex Nobilitate Livoniæ tam dura ac dira crudelitatis exempla statuere, ut vestigia specum leonis *adversum spectantia, nulla retrorsum*, reliquis metum facile incutere ac defensionem sui adimere potuerint.

## §. VI.

*In primis D. de Patkulis.*

Ex his imprimis virulenti horum Basiliscorum oculi in Generosum D. Patkulium, p. t. Ministrum inteni ac defixi erant. Verum, quem justum ac tenacem laudabilis propositi virum arte ac cauda Vulpina non poterant, vi leonina à gradu, quod ajunt, dejicere & in suas partes trahere contendebant, omni cogitatione  
in



in id incumbentes, ut, quo fieri posset modo, jure vel injuria, eum opprimerent ac e medio tollerent. Sic post infinitas vexas & altercationes prorupit tandem velut ex erebo iniquus ille contra eum processus, qui ante annum ex ipsis actis & documentis Svecicis in publici juris facta *deductione* censuræ ac judicio omnium juris ac justitiæ amantium oculis expositus. Quod vero hoc processu intenderunt, minime processit, spesque delusit hiantes; Supremus rerum arbiter, qui impiorum malitiæ terminos statuere novit, nec semper hominum peccatis indulget, pessimis eorum consiliis elusis, consultores publico exposuit ludibrio, adeo ut dici fere possit, ipsos eos incidisse in foveam, quam Domino Patkulio, qui sine noxa & offensa, ringentibus his canibus venaticis felix evasit, fecerant; Quamvis alii ejusdem nobilitatis Fratres ejus, omnibus injuriis postea expositi ac fere dilaniati fuerint.

§. VII.

Quemadmodum vero, cuilibet honesto viro nil prius & antiquius esse debet, quam conservatio bonæ famæ *Qui apolo-* & existimationis, ita multo magis, quando totus populus *geticum* vel ordo equestris per calumniam vel malitiam aliorum læditur, apud omnes gentes moratiores usu introductum est, ut quando occasio superis adjuvantibus ita fert, sermone Apologetico divulgato factum narrari & ad ultimam instantiam, quæ est in hoc terrarum orbe, tribunal omnium gentium, provocari soleat. Eundem servavit modum supramemoratus Minister, quando brevem ac modestam deductionem, ut suam suorumque Fratrum & Popularem innocentiam demonstraret, eruditis ac Juris Prudentibus Viris in consilium *-edit.* ductis,

ductis, composuit, divulgavit; In quo scripto animadvertere ubivis licet, Autorem Illustr. omnibus dictis ac verbis, quæ aliqua ratione Majestatem tam Regis Sveciæ moderniquam piè defuncti lædere possent, abstinuisse, prout sæpius quoque expresse satis protestatur, se Serenissimis ac optimis his Regibus nullam culpam attribuere, seque eos, uti unctos Domini ac Dei vices in terris suæ ditionis gerentes, ea qua decet, sanctioris cultus religione ac honore prosequi. Neque animus ei fuit, popularem auram exinde captandi, ac longâ & verbosâ declamatione processum illum Suecicum, quamvis facile, argumento hoc ita satis ferente potuisset, fugilandi ac reprehendendi, sed nudam facti speciem actis conformem edendi, ac in meris terminis defensionis se continendi. Adjecta sunt duo responsa juris, in quibus celebres Jcti palam fecerunt, quanta accusatis Livonis injuria illata fuerit; Omnia, ad plenam informationem eorum, qui penitus totum hoc negotium, de cujus injustitia jam passim missitatum fuit, nosse ac de eo judicare cupiunt.

### §. VIII.

*Holmiæ publice com-  
bustum.*

Displicuit quidem hoc mirum in modum hostibus veritatis in Svecia. sed causæ suæ diffidentes ausi non fuerunt, Barbariem atque ἀνομίαν processûs per legitimos tramites tueri. Viderunt, difficile admodum esse, viâ facti nullo jure permittente admissa per rationes juris & argumenta legibus conformia justificare. Ne vero ex silentio eorum conjicere liceret, quasi proprium factum mutarent, seque ipsos damnarent, nescio quis furor præclarum illud consilium suggestit, ut injustitiâ alio pejori facinore cumulatâ, rabiem & iram in innocentem

centem

centem chartam, cui deductio impressa erat, evomerent, furiosis canibus similes, qui fuste vel jaculo icti, quando verberantem mordere nequeunt, in fuste dentes accuunt, sic innocenti illa deductione una cum Responsis Prudentum Holmiæ a. d. 18. Decembr. præteriti anni publice combustâ, Generales nostri pravitatis hæreticæ inquisitores, quasi re bene gesta, publico edito proclamate cui tremendum nomen, *Justa animadversio*, tam præclarum & gloriosum facinus, inflatis veluti tibiis operose ubivis divulgant, ne posteris memoria tantorum in toga Heroum deesset, qui, quando aliis gentibus de rebus a se gestis rationem reddere debent, neque tamen possunt, odio metuque veritatis, patrocinio Carnificis se committunt, ejusque tanquam Advocati opera utuntur.

Et tales sunt boni isti Viri, qui sub climate politioris regni in quo jus & justitia merito regnare deberet, degunt; Verum hæc & similia eorum facinora satis indicant, relegandos eos potius esse in regiones istas barbaras ubi anthropophagi reperiuntur, cum sanam mentem & rationem ejurarint, nec audire velint, quid leges divinæ & humanæ fanciunt & peculiarem sibi vivendi & agendi modum sumfisse videantur. Dum enim alii rebus præclare & fortiter sive in toga sive sago gestis, & actionibus rationi & justitiæ conformibus inclarescere student, hi aliam ineunt viam, & quod rebus bene gestis obtinere diffidunt, injuria ac sceleribus famam sibi parare contendunt, parum solliciti, etsi posteritas eos tanquam socios perditii illius hominis, qui ausu temerario & sacrilego Dianæ Ephesinæ templo funestos ac nefarios ignes inferre non dubitavit, habitura sit.

§. IX.

## §. IX.

Præclara hæc facinora etsi satis meruere, ut acri calamo castigata memoriæ traderentur, tamen Ill: Minister noster, id quod sibi reliquum habet temporis, nimis carum ac pretiosum judicat ut insaniis his ac insolentiis omnibus enarrandis refellendisque impenderet; inprimis postquam amplissimis dignitatibus, & honoribus, quibus, Virtute Duce & Comite fortuna, per legitimam vocationem, ringentibus omnibus inimicis ejus, potitus est; Sic aliis majoris momenti bono publico intervientibus negotiis distractus in eo facile conquiescit, quod in fine impressæ antea deductionis suæ declaravit; se videlicet famosis libellis laceffitum, nullum daturum responsum, non vero detrectare in arenam denuo descendere, si quis hujus negotii examen juridicum modesté ac sapienter suscipere præsumserit, & refellere sine pertinacia & refelli sine iracundia paratus.

## §. X.

*Cause quibus autor huius libri ad scribendum commotus.*

Quoniam vero in civili societate quilibet Vir probus ac honestus communi vinculo obstrictus est, defforem oppressæ veritatis & innocentia contra quemcunvis agere [Grot. de J. B. & P. L. II. & V. §. 2. L. II. c. XX. §. 40.] ac mendacia & violentiam, ubi invaluerint, repræmere, & hic aliquis repertus est, qui a se impetrare non potuit, ut ad atrocem insonti illatam injuriam fileret. Officii sui esse credidit, calumnias has refellere, quod sacramenti religione Regiæ Majestati Poloniae ac Electori Saxoniae per nativitatem, subjectionem ac munera ab eo impetrata obstrictus est. Neque potuit diutius ferre, Patrem Patriæ suæ, Dominum suum Clementissimum, cujus Majestatem ac honorem in tot libellis

bellis

bellis ac carminibus famosis, in primis vero per combustionem scripti illius Apologetici tam graviter Sveci læserunt, indefensum relinquere. Verendum fuisset ne Toti genti Saxonicae, quæ tot eruditos & ad scripta quævis edenda aptos viros produxit, id vitio & dedecori verteretur, si nemo impofterum, uti huc usque proh dolor! factum, reperiretur, qui memor beneficiorum à Serenissimo Rege, Domino Nostro clementissime collatorum ad honorem Coronati Regis contra tam temerarios ac insanos impetus, quantum quidem fieri posset, defendendum, in medium quid proferre vellet, quod famosis Suecorum scriptis opponi & memoriæ prodi posset, ut posteris de veritate ac serie totius rei penitus constare posset. Id quicquid est negotii eo confidentius in me suscepti, quod omnia ab aliquot annis in Svecia hac in causa acta & per orbem terrarum divulgata diligenter collegerim ac de variis circumstantiis hætenus incognitis plenius edoctus fuerim, Lampadem defensionis hujus eo lubentius in me suscepti, quod olim adolescens Auctoribus duorum Juris, responsorum quæ deductioni annexa vides, Viris fane, quos exasciata Juris doctrinâ & vitæ integritate præstare constat, partim Doctoribus ac Præceptoribus, partim amicis familiariter usus fuerim, officium gratæ mentis à me exigere videbatur, ut secundum leges erudite atque optime, ex actis & probatis ab ipsis scripta nullaque reprehensione digna, etiam illis insciis, tanquam negotiorum gestor, quantum quidem pro modulo ingenii mei, quod sentio quam sit exiguum, præstare poterò, defenderem, causamque eorum dicerem, potenter fane ac libero calamo, quia ut cum Sophocleo Tiresia loquar:

*Stat à me veritas res præpotens.*

B

§. XII.

*Injuriam  
Svecorum re-  
torquen-  
tur, proba-  
turque, D.  
de Patkul  
nec perdu-  
ellens nec  
proditorem  
vocari pos-  
se.*

His præviis, quanta fieri poterit brevitate examinabi-  
mus, quid infamis Autor famosi libelli, cui perperam no-  
men *Justæ animadversionis* datum perfricta fronte temera-  
rioque, ausu protrusit, & quia statim in principio Domi-  
num de Patkul proditorem & rebellem vocat, justa retor-  
sione ac nulla circuitione usus, ad id respondeo, hoc no-  
men ipsi tantum à nebulonibus furciferis ac supplicio di-  
gnis vitiligatoribus (cujuscunque sint ordinis aut dignita-  
tis) imponi, uti de vita sua antea usque ad hanc prove-  
ctiorem ætatem supremo Numini, omnibusque honestis  
viris rationem reddere paratus est, sic nemo vir probus  
ac honestus proditionis aut alius illi vicini criminis eum  
accusare, nedum convincere poterit. Ut vero dicamus,  
quomodo res est; In eo omne ejus crimen consistit, non,  
quod patriam prodere voluerit, verum quod proditorem  
patriæ adulatorem, reductionis & observationum magi-  
strum agere ac patriæ suæ sanguine majorum parta privi-  
legia suaque, avita familiarium ac necessariorum titulo  
oneroso acquisita prædia atque arva deserere noluerit, sed  
potius ea contra harpijas, prædones & quoscunque inju-  
stos invasores, uti bonum civem decet, mascule defendere  
ac pro virili conservare annis fuerit, vere enim de illo  
dici potest, eum esse ex illis, quos Horatius laudat:

*Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis*

*Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes*

*Quod sit conscripti, quod Judicis Officium, quæ*

*Partes in bellum missi Ducis, ille profecto*

*Reddere personæ scit convenientia cuique.*

Pluribus hæc in impressa deductione ex Collectaneis Livo-  
nicis Num. XV. XVI. XVII. XIX. XX. XXI. XXII.  
XXIII.

XXIII. XXIV. exposita, & probata, quare non dubitat omnes ejus Adversarios in Suecia & aliorum, ubicunque terrarum fuerint, sine delectu personarum cujuscunque ordinis & gradus provocare, qui contrarium asserere sibi præsumere velint; Quilibet ex antea allegatis abunde cognoscet, falsam hanc accusationem malitiæ tantum ortum debere. Si enim obtrectatoribus Svecicis vel minima anfa fuisset hujus criminis proditoris Eum accusandi, certe non defuissent in sæpius memorato processu expressis verbis Eum arguere, ac probationes quasdam siue veras siue fictas in medium proferre; nihil enim prorsus omiserunt ex iis quæ ipse Diabolus mendaciorum Parens invenire ac protrudere unquam potuerit, ut accusationes & sententiam postea latam iis replerent, ac plausibiliorem redderent, ex quibus & simplicissimus quisque conjicere potest, falsissimam esse hanc accusationem, ac dignam legitima retorsione supra dicta quam infamis scriba hujus libelli ac illi, qui ope autoritate & consilio juvarunt, sibi habeant ac retineant, donec temerarium bonos ac innocentes viros detrectandi vexandique morem deponant.

§. XII.

Verum si propterea forsan Ill. Dominus de Patkul pro-*Et si olim*  
ditor ac per duellis vocatur, quod olim Sveciæ Vassallus fue-*Sveciæ Va-*  
rit, & in bello Livonico operam suam contra Regiam Ma-*fallus fue-*  
jestatem Sveciæ Polonorum Regi addixerit. Sic Justam *rit.*  
definitionem proditoris ac perduellis a magnis his Philoso-  
phis expetendam mihi hic esse video, ut declarent, qua in  
re formale hujus criminis consistat, & quæ sint ejus requi-  
sita essentialia, imprimis ratione subjecti, ut intelligamus,  
an justa ad hypothesin applicatio fieri possit. Verum hic,  
certo scio aqua ipsis hærebit, quia enim potissimum eorum  
B 2 studi-

studium fuit in modis acquirendi rerum dominii injustis scilicet & iniquis, quibus fideles ac bonos cives fortunis suis legitime acquisitis, per varios dolos, ac fraudes, privarunt, ac regnum inopibus replerunt, obliti sunt vel susque deque habuerunt, quicquid ad solidam juris notitiam veramque Politicam spectat. Ignorare eos apparet, quid nexus inter imperantem & parentem sibi velit, unde oriatur, quomodo colligetur iterumque dissolvatur, ita ut uno relatorum sublato alterum subsistat nequeat. Quod si scioli nostri hoc probe discerent, vel, si, uti decet, jam scirent ac intelligerent, nebulones isti nebulas malitiæ ex oculis ingenii abstergere vellent, crassum errorem atque ignorantiam agnoscerent ac candide profiterentur, Ill. Patkulium, ex quo tempore Regiæ Majestatis Svecicæ subditus esse desuit, nihil admittere potuisse, quo criminis perduellionis ac proditionis (quod sc. vinculum subjectionis præsupponit) reus fieri potuisset. Postquam enim obligatio civilis, qua Seren. Regi Sveciæ uti summo imperanti, Ill. D. de Patkul qua subditus olim devinctus erat, cessavit, quando Rex Sveciæ ex numero subditorum excluso ei officium regium, quod protectio est, denegavit, sic ab omni obligatione, & effectibus quæ qualitatem Vasalli comitantur, absolutus ac respectu Regiæ Majestatis Svecicæ in statum naturalem restitutus, in bello Livonico aliter considerari nequit quam omnes reliqui, qui nullo fidelitatis vinculo Regiæ Majestati Svecicæ adstricti contra eam in hoc bello militarunt. Nisi forsan ingeniosi nostri Politici imperium civile, tanquam dominium in feras bestias, quæ ab arbitrio regentis dependent, quodque characterem indelebilem in infinitum ac moraliter indissolubilem, imprimat, nobis obtrudere ac venditare, e contra officium imperantis erga subditum pro lubitu

restrin-



restringere, illudque in vim despoticam legibusque omnibus solutam commutare velint. Quod quidem facere videntur, quasi tam nova hac, sed falsa ac erronea doctrina, quam inventione impiorum modorum cives bonis exuendi, nomen famamque sibi parare studerent.

§. XIII.

Omnia hæc iniqua consilia, & criminationes in id quidem collimarunt, ut Ill. Patkulii nomen ac integritas estimationis apud Principes virosque bonos læderetur, horumque gratiam & favorem ab illo removerent. Verum uti supremum Numen innocentiam aliquando premi per aliquod tempus, nunquam vero opprimi sinit; Sic calumnias & nefarias actiones istas, quas arbitrarias & vere despoticas vocare possumus, non ubivis, uti sperarant, successum habuisse, probatasque, fuisse quinimo in omnibus Europæ aulis, quæ violentum ac despoticum regnandi modum abhorrent, improbatas admodum ac damnatas fuisse, vel ex eo cognoscere licet, quod Deo ita dirigente, qui corda hominum tanquam rivulos aquarum flectere novit, varii potentes Principes Christiani Ill. Patkulio gratiam ac tutelam obtulerint, probe gnari, nullum Magistratum, neque Summum imperantem, cui alias valorem atque estimationem civium in civitate definiendi facultas est, officium tam absoluta potestate ac privilegio gerere, ut æquum ex iniquo, ex jure injuriam facere possint, verum vim ac injustitiam notoriam honesti viri famæ nullam maculam adspergere ac in opinione recte judicantium nocere posse. Quippe & sanæ rationi & omnibus Legibus convenientius, neminem posse pati honoris sui deminutionem, quam turpi aliquo facto, quod manifestum in se delictum continet atque ita infamiam irrogat. (l. 22. ff. de his qui not. infamia) Cuius fu-

*Injuria calumniantium fama integritatem non laudant.*

stium infamiam non importat, sed causa, propter quam id pati meruit, si ea fuit, quæ infamiam irrogat. In cæteris quoque generibus pœnarum eadem forma statuta est. Si cui vero, crimine nullo admisso, vel ob factum aliquod laude dignum, adversi aliquid acciderit, pro mero infortunio, cui vis major, eaqve injusta causam dedit, ac inculpati alias viri famam atque existimationem lædere nequit, id habendum cogitandumque quod Salvator in afflictorum solatium dixit: *Beati estis, cum de vobis omne malum dicunt &c.* Cui consonum est illud Ciceronis pro Domo cap. 27. *Quid enim exul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis.* (*Inimicitia*, ait Tacitus lib. 3. ann. c. 55. *quas Reip. causa suscipimus, omnium honestissima atque præclarissima sunt, neq. egregio civi expavescenda.* Imo à Vellejo in parte felicitatis ponuntur acres innocentesque pro Rep. contentiones lib. I. cap. XI.)

## §. XIV.

Quod ex  
sacris lite-  
ris proba-  
tur.

Res nota est, atque apud omnes in confesso, muneri alicui atque officio, quod ab auctoritate superioris dependet, præfectos, non posse id pro arbitrio suo exsequi ac administrare. Legibus enim ac finibus mandati præscriptis alligatus, quod si ea transgreditur, non tantum nihil agit, adeo ut gesta ejus tanquam nulla ac irrita, omni Juris effectu careant, verum etiam pœnam ob potestatis sibi concessæ abusum incurrit. Jam, quod leges in primis divinas concernit, inter omnes convenit, non esse Magistratum, nisi à Deo, (Deut. L, 17. Rom. XIII, 1.) cui de usu concediti gladii secularis ac administratione totius officii exacta ratio olim reddenda. Quod Ethnici passim quoque inculcaverunt. Virg. I. *Ænead.* ita monet:

*Si genus humanum & mortalia temnitis arma,  
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.*

Non

Non potest proinde Magistratus potestate sibi commissa abuti, vel si fecerit, gestum valere. Nihil sane supremum Judicem Deum in sacris literis majori cum emphasi Judicibus terræ injunxisse reperimus, quam ut jus suum cuique redderent. Quanta vero severitate admissam iniquitatem ac oppressionem in fontium non solum in Autores ipsos sed etiam in Filios ac posteros eorum vindicaverit, ex illustri ac nominato exemplo, quod (ut alia prætereamus) *l. 1. Reg. c. 21.* consignatum legitur patet. Hoc cum in primis ad rem nostram faciat, hic recitabimus, ac convenienti paraphrasi illustrabimus. *His ita gestis, quum haberet Nabothus Jezraelensis vineam Jezraele apud Achabi Samariae regis palatium, Contendit ab eo Achabus, ut sibi eam vineam addiceret, faciam enim ex ea, dicebat, viridarium, aut, si fieri potest, in usum exercitus mei stativa atque hyberna militaria, quippe quæ adibus meis proxime conjuncta, vel in vicinia hujus vel illius Tribuni militaris sita est. Et quia sperabamus Ahabum optimum atque piissimum Principem summa cum laude regnaturum fuisse, nisi in turbam nebulonum incidisset, dicebat, uti generosum, Deumque timentem Regem decet, Nabotho, Gratis tuum non posco; nulla vi Tecum utor; non ablego iniquos Reductionis, Liquidationis aut observationum artifices acerbos ac duros exactores, qui bonis Te exuant, Tecum Tuis in exilium mittant, ac vitem patrimonio meo falsis ac injustis prætextibus adjungant, aliam vineam illam meliorem vel si ita tibi videbitur, pro hac argenti pretium soluturus. v. 3. Sed Nabothus respondebat Achabo, avertat Deus, qui vetus hujus terræ colonus sum, ut tibi patrimonium meum avitum, quod tanquam allodiale aut alias titulo oneroso, peremptionis, donationis remuneratoriæ vel ex alia justa causa*

causa

causa acquisitum teneo, *tradam*, quo Rex Samariae, licet legibus soluta potestate polleat, multo minus Princeps, qui fidem & auctoritatem suam Capitulationibus, legibus Patriae fundamentalibus, & pactis jurejurando corroboratis astrinxit, me vel Fratres spoliare, aut ejicere potest: Nisi illud per libera statuum vota in Regni quidem Tui, comitiis, in Terrae vero, quam ego inhabito, conventu provinciali sine dolis, corruptionibus, fordibus aut concussionibus (in alio Regno quondam usitatis) placuerit. v. 4. *Achabus domum suam rediit tristis ac vehementer iratus* Eum quidem in modum, ut si gladium lateri accinctum habuisset, eum in Nabothum tam sciolum & audacem oratorem strinxisset. *Molestè ferens vocem Nabothi, qui ei patrimonium suum dare renuisset, inque lecto suo decubuit, & averso vultu a cibo abstinuit.* v. 5. *Venit ad eum uxor Jeshabell.*

Verum certe non ex proprio motu sed convenerat forsan turba periniquorum hominum atque adulatorum, qui mentem Regis inceptum aliquod perficiendi explorantes ac probe gnari Viros probos id juvare nolle, in amicitiam Jeshabelis non recta sed quasi, per sinus & latenter se insinuarunt, ejusque mulieris ope & blandimentis Regem, variis plausibilibus argumentis ac consiliis inducere studuerunt, ut præclaris ac speciosis eorum inventis Reductionis, Liquidationis & observationum aliisque similibus modis non solum Nabotho vineam, sed etiam reliquis vitioribus, civibus Regni opima ac avita latifundia jure vel injuria paulatim auferre institueret. Hac occasione plures inficeti petrones ac nauci homines, tam nativitate quam ingenio servi, ex rustica & plebeja progenie pluresque fures ac nebulones, nulla re quam scelerum maculis notati ac stigmatè vel furca digni in præmium tam præclaræ inventionio-

ventio-

ventionis in ordinem Nobilium à remo ad tribunal, uti vo-  
cant, euecti, qui a vitum rurestre nomen in aliud elegantius  
sonans ex aureo vel argenteo monte, valle, campo, stella,  
arbore, arce vel ex inaurata aliqua harpyja, falcone, gry-  
pho aut noctua vel ex aliis feris bestiis rapacibus, Leone  
Tigride vel etiam ex pigri stupidique asini ac leporis inau-  
ratis ac argentatis auriculis, compositum commutant, vel  
quæ alia ridicula commenta ars Heraldica vano hominì  
(quem Comicus Gallus bourgeois Gentilhomme appellat & castigat)  
ignobili tandem vulgo virtutibus experti suggerere potest,  
pro veris obtrudere ac fumos vendere satagunt, in quos  
Horatianum illud *de arte poetica* quadrat.

*Humano capiti cervicem pictor equinam  
Jungere si velit, & varias inducere plumas  
Undique collatis membris, ut turpiter atrum  
Desinat in piscem mulier formosa superne  
Spectatum admissi risum tenatis amici.*

Profiluere inde ex improvise veluti ex machina tot no-  
vi homines Barones, Comites, denique Consiliarii vel Mi-  
nistri Regii in Samaria, Duces Belli, Præsides provinciæ.  
Mirabantur id quidem stabantque attoniti vicini populi, *sed*  
*quoniam* honores mores non mutarunt, facile ex agresti  
modo vivendi & auriculis asini semper prorumpentibus  
conjicere licuit hos personatos ac immutatos homines non  
esse ex illis,

Queis de meliori metallo finxit præcordia Titan  
Fictasque has aquilas ab imbelli columba procreatas esse,  
uti enim simia manet simia etiamsi aurea gestet insignia,  
neque pica saltus suos dissimulare potest, sic abjecti ortus  
conscii, etsi diligenter illius indicia tegere celareque stude-  
ant, imbecillis ac vilis animus & vultui & moribus vitæque  
eorum semper oberrat. Solent equidem Principes distribu-  
C tione

tione dignitatum & honorum præstantes viros quos gloria vexat inanis sibi conciliare, ac in partes suas trahere, operas vero utiliter præstitas in vicem mercedis honoribus, vanis titulis, ceris ac imaginibus remunerare. Verum, quoniam hi novi homines videbant numerum eorum nimis excrescere, metuebantque ne Rex intelligeret ob quotidianas ac frequentes Nobilium promotiones dignitatem vilescere, una cum Jesabele id machinari instituerunt, ut extirpatione Illustrium & antiquarum familiarum numerum Nobilium diminuerent, quasi præclarum stratagema Politicum esset Proceres Provinciæ plebi exosos reddere, eumque autoritatem diminuere, sed quoniam cum servo illo apud Plautum prima eorum cura erat. *Machinari, machinam, unde aurum efficiant*, cuius ope Regis Ahabi consilia absque populi tumultu executioni mandari possint, in eo tandē convenerunt, per Reductiones, liquidationes, observationes aliaque similia tormenta & cruciatus Vasallos Regni prædiis ac bonis esse spoliandos. Quoniam vero viderunt, viros Ecclesiasticos, qui ad populum verba faciunt, quæ volunt, auditoribus in concione facile persuadere, posse eorum studiū & operam vaso aliquo argenteo vel alio beneficio aut munere dato sibi conciliandos esse putarunt; Et quamvis Elias Thisbita Samariæ vel alius Religiosus ac pius Episcopus, Superintendens, Concionator Aulicus seu alius Epopta, ut mutus canis contra violentam hanc Tyrannidem filere nollet, sed vim ac injustitiam ex Ps. LXXXII. lib. Sapientiæ VI. Ezechiele XLVI. v. 18. & similibus S. Scripturæ locis reprehendere ac damnare vellet. Alios Sacrificulos Baalitas adhibendos ipsisque auram popularem collatione insignis Ecclesiasticæ dignitatis conciliandam esse putarunt, ut aliis piis Theologis eo audacius oblatra-

re,

re, ac justitiam horum consiliorum, astuta perversaque, ad hypothesin applicatione ac in reprobum sensum contorsione sentiarum S. Scripturæ, in primis locorum 1. lib. Sam. c. VIII. v. 11. &c. item Ezech. XLVI. v. 17. fictæ pietatis specie, infucatis ac phaleratis verbis defendere ac imperito vulgo imponere possint, Præclara hæc in utilitatem Regis incepta etiam in foro conscientiæ licita esse ac omni plane vitio carere. Ut vero fallacia alia aliam trudere solet, ex Machiavelli *Libro de Principe c. 18.* hoc politicū stratagemata adhibere e re sua existimarunt, ut externus Dei cultus, in primis solenni ritu ac ceremoniis singularem pietatem præ se ferentibus celebraretur, hac mente & intentione, ut dum aras exstruunt atque exornant, focos impune subvertere possint doctisque dolis ac piis, quas vocant, Ecclesiasticorum fraudibus glaucoma civium oculis objiceretur, ac Auditorum animi jugum servitutis, quod imponere studebant, toleranter ferre assuescerent, Neronis exemplum imitati, cujus dictum hoc familiare fuit. *Si Jus violandum est, regni causa violandum, in reliquis pietatem colas.*

Proinde, etsi cernuos preces ad Deum fundere deceret, licere tamen inter sacra in locupletem Nobilem ac civem oculos ac cogitationes defigere, vultu digitoque ad cædem & spolium designare, ac secum meditari, quibus infidiis ac dolis ex corpore Juris nequitia petitis, per commisiones ac liquidationes pecunia sua emungi possit.

Jesabela in omnibus his artibus ab impiis his Doctorebus probe instructa & natura ac propria indole ad similia quævis perficienda quasi facta, ad Regem Achabum eo tempore mœstum ac perturbatum venit, ac interrogavit, *qua est animi Tui aegritudo, ut cibum non capias v. 6.* Respondebat ille, *egrum Nabotho Jezraelensi, ut mihi vineam suam aut argento addiceret,*

*ceret, aut (si ita placeret) alia vinea mecum permutaret. Ille vero negabat mihi se daturum esse vineam, & tot privilegia ac jura allegabat, ut videam, me in leges divinas ac humanas peccaturum, si invito Vineam extorquere vellem v. 7. At Jezabel uxor quæ hic personam malefadi Ministri Regii sustinebat, regessit: O te hominem idoneum, qui Israeliticum Regnum paves! Qui unius vineæ comparandæ rationem non invenias, quo pacto regnum, si esset opus, tibi parares, nonne Tu ipse ille es, qui ex Israele Regnum facis? sine Te quid esset? Tu rerum omnium moderator es & arbiter. Fatuum foret atque mirabile si Nobilis aliquis vel incola Regni, quod si Rex agrum vel aliam ejus rem ex jure congrui, vel ex dominio eminenti, quod Principes in bonis subditorum habent, sibi arrogare voluerit, eo audaciæ procedere vellet, ut negaret daturum ac de pactis ac privilegiis commonstrationes ac verba facere sibi præsumeret. Anescis, Regem non tantum legibus, omnibus, sed etiam patris solutum esse, nec subjacere promissis fideique datæ: hanc servandi ac liberandi officium ad vulgum spectat, necessitas solvendi quod promissum est, subditis inter se vel erga Regem incumbit, Rex vero, quicquid fecerit, injuriam subditis inferre nequit. Quare, mi optime Rex, nimis remissi ac lenis es animi, vanus est, quem tibi fingis, timor, surge, cape cibum & esto leto animo? Video, quam ignores, quot prudentes viri ac ingenio perspicaci, callido atque astuto præditi regnum hoc inhabitent, nobisque ad manus sint; Jam cum nonnullis tam Ecclesiasticis quam Politicis viris versatissimis egi, qui tam præclara ac subtilia eorum inventa mecum communicarunt, ut præ gaudio fere tripudiam atque exultem. Quare hoc habeto: Ego Tibi Nabothi Jezraelensis vineam tradam, nec hanc solum, verum etiam plures.*

Initi-



Initium autem faciamus ego & adjuutores mei, cum hoc Nabotho. Hunc perduellem una cum familiaribus ac popularibus suis vocabimus quamvis revera tales non sint; in auxilium nostrum vocabimus commenta, dolos & artes caufidicorum sophistarum ac rabularum omnium, ut aliis facile studium contradicendi expellere possimus. *Hæc locuta literas Achabi nomine scribit, commissiones constitutoria, Resolutiones mandata, instructiones sive præscripta rerum agendarum, ejusque sigillo signatas, ad senatores & primores Nabothi cives, & idem cum eo oppidum habitantes. Consiliarios Regni, Commissarios, Præsides Provinciæ aliosque mittit scriptas in hanc sententiam v. Indicite jejunium congregetur senatus, conveniant Commissarii Regii, adhibeantur solennia, ac si de negotio majoris momenti, quo salus ac quies Regni nititur, tractari deberet, Nabothumque in editissimo omnium loco collocate utpote ex primis familiis ortum, qui, quod ipse admisit, in aliis culpæ atque impedire potuisset. v. 10. & contra eum duos homines perditos statuite, qui tanquam Actores Regii, alia legitima probatione deficiente, una cum Legato ac Præside Provinciæ Jezraelensis, omnibusque ejus clientibus simul accusent, ac pro testimonio dicant, eum Deo Regique maledixisse, Crimen læsæ Majestatis, Perjurii, seditionis, Perduellionis &c. admisisse & formato in eum & correos processu Exceptiones, Supplicationes, & Protestationes, quam legitimæ quoque fuerint, ac in jure fundatæ, nihil moramini, sed contemptis omnibus hisce, etiam neglectâ solita Judicii forma, nullaque ratione habita literarum liberi passûs sive salvi conductus, quas fallacibus, dubiis ac captiosis verbis scribi curabimus, quam brevissime poteritis, rem expediatis atque ita eductum lapidatione interficite, ere enim nostra est, ut capite muletetur, ne*

artes nostræ olim detectæ pudorem nobis incutiant, nobisque eveniat, quod alibi haud ita pridem factum, ubi in innocentem formato processu criminali, cum Judices atque accusatores omnia artificiose disposuisse putarunt, nihilque amplius superesse existimarent, quam statuere, quo supplicii genere afficiendus esset, Ecce vir bonus, ope sine dubio divina eorum unguibus feliciter evasit, ac in aliam terram se recepit, quare attendite, ac Nabothum probe custodite, ne nos hiantes eadem prudentia ac calliditate eludat, v. 11. *Ad harum a Jezabele missarum literarum præscriptum Nabothi cives, senatores, primoresque ejusdem cum eo oppidi incolæ, faciunt. v. 12. Indictoque jejunio Nabothum primo omnium loco constituunt, v. 13. Deinde duo superveniunt homines perditæ, qui e regione Nabothi sedentes, coram multitudine testantur, Nabothum Deo regi que maledixisse.* Colludente Prætore Jezrelenfi actores Regii libellum exhibent, accusatores declinatorie & dilatorie excipiunt, tandem post replicas & duplicas accusato acta ad definitivam signanda obtruduntur, sic denique iniqua sententia à commissione fertur. *Ita educitur ex oppido Nabothus, & lapidibus obrutus necatur.* Sed demus casum, Nabothum justa ac oportuna fuga salutem quæsisisse, Jezabel etsi cum asseclis delusa, ac indigne ferens, quod Nabothi sanguine se satiare non potuerit, tandem tamen etsi invita in eo sine dubio ac quievisset, ut alia via crudelitatis exemplum in fugitivum statuisset, quod aliis civibus contra despoticam Regis Ahabi voluntatem obmurmurandi juraque, ac privilegia contra vim allegandi pruritum adimeret, vel si quid simile Nabothus adhuc absens tentare voluisset, fictis mendaciis ac calumniis vario idiomate promulgatis fides ejus labefactari, scripta vero ejus Apologetica, si quæ edidisset, manu carnificis comburi, atque

que

que a fini ad eum interimendum vel vitam ei acerbam, nulli-  
bique tutam reddendam conduci potuissent.

v.14. *Deinde ad Jesabelem mittitur, qui nuntiet, Nabothum lapidatum interfectumque esse.* Sic summi magnæ commissi-  
onis Judices nostri de re tam bene gesta gloriandi ansam habebant, ac ita cum Jesabele loquendi; Nonne sic hac vice, potentissima Regina, officio nostro. Tuæ etsi minus justæ voluntati velificantes, defuncti sumus? Fuere quidem inter nos nonnulli, qui ægre admodum ac inviti, justitia nimirum ac recta conscientia reclamante, sententiæ in Nabothum latæ subscribere, & huic negotio libenter se extricassent; nos autem veræ nec simulatæ justitiæ sacerdotes illud pigmentis nostris aspergere ac phaleratis verbis explicare potuimus, ut tandem in nostram sententiam, lento quidem & titubante gradu tamen, iverint. Sic decet fidos Ministros dicto Principis audientes esse! Scimus equidem, quales supremus Judex, Deus, nos hic in terris judices esse ex præscripto [Exod. 18. v. 21. Deut. 1. v. 13. 15.] velit, scimus quam severe Jehova magistratibus injungat [Lev. 19. vers. 16. 17. Deut. 1. vers. 16. 17. cap. 25. v. 1. c. 27. v. 19. Sap. 6. v. 4. 5. 1. Sam. 12. v. 4. 2. Paral. 19. v. 6. Syr. 55. v. 9. c. 42. v. 1. 2. Ps. 82. Prov. 17. v. 15. c. 18. v. 5. Eiaia 5. v. 21. It. 10. v. 1.] ne in judicando quid dent odio vel amoris, causas pervertant, iniquum justum dicant, innocentem condemnent, diripiant, oppressorum pernicie gaudeant, sed nulla personarum ratione habita & fas & nefas æqualitate trutinant ex Dei voluntate, ac quasi in conspectu ejus officium gerant. Verum hæc omnia, ut desideriiis tuis satisfaceremus, quod alias fieri non potuisset, tui gratia dissimulavimus ac transgressi sumus: Dei ac hominum judicia contempnimus, ac obstinatum imorigerumque Nabothum  
e me-

e medio sustulimus. Pro hac tam diligenter tibi præstita opera Te, serenissima Regina, supplices rogamus, velis gratia ac favore tuo nos semper prosequi, idque efficere, ne dum hoc officium Tibi præstitimus salutem animæ in periculum seduxisse, nostramque existimationem ac famam frustra gratisque læsisse videamur. Quod si enim doli nostri, malignitas ac fraudes palam fient, quilibet nos, Judices iniquos; innocentem Nabothum vero, tanquam perperam nulloque jure damnatum existimabit.

v. 16. *Jezabel audita Nabothi lapidatione atque nece, Achabum adit, dicens: nimis infirmi atque molliusculi es animi. Quod si de pactis, privilegiis ac juribus populum garrere audis, statim putas regiam Tuam Majestatem his vanis nugis esse adstrictam, ut ea transgredi non valeres. Sed Regi ejicienda hercule hæc mollities animi est. Quod tibi hac non successit, ego cum decumanis tuis alia aggressus sum via, ac, quam voluisti vineam, etiam fini solutione pretii acquisivi. Sic negotium, de quo tam anxius fuisti, feliciter perfeci.*

*Ite triumphales circum tua tempora lauri  
Incidit in casses præda petita tuos.*

*Surge & invade vineam Nabothi Jezraelensis, qui illam tibi pecunia soluta addicere renuit, nonne jam præstat, gratis illam ac nullo cum periculo acquisivisse? Jus in re habes ab omni contradictione liberum, nec est quod timeas, ut quis possessionem turbet; nemini titulum possessionis tuæ edere teneris. Sufficiat, te Regem possidere, ac idem tibi esse debet, siue feram bestiam siue hominem tibi subjectum necaveris vel in exilium miseris. Jube, si quæ alia prædia velis? nemine imposterum refragante ea facile acquires. Nabothus enim non vivit sed interiit nihil interest, an ultimo supplicio*

plicio eum affecerimus, an in exilium ejecerimus, utrumque sufficit ad timorem populo incutiendum, ut ne quidem hiscere amplius audeant nec colla servitutis jugo, quod imponere placuerit, submittere detrectent.

v. 17. *Achabus intellecta morte Nabothi, surgit, & in Nabothi vineam, ut in ejus possessionem, invadat, descendere contendit. v. 18. Tum Elias Thisbita jussus a Jova Achabo Israelitarum apud Samariam Regi obviamire, (qui tum in Nabothi vinea esset, eo degressus, ut ejus possessionem caperet omniaque ibi pro arbitrio dispo- neret, tanquam in prædio noviter & legitime acquisito, quo tranquille uti frui posset.)*

v. 19. *Cum eo ex Jovæ mandato sic loquutus est: Et occidis & possides. Erras, cum putas Rex Ahabe, vim ac injuriam Nabotho illatam Tibi imputari non posse, Quodque ais, Jezabelam tuam, aliique injustitiæ satellites & magnæ commissionis Assessores nefas admisisse, nec Tua hæc fuisse consilia: Te adductum esse, ut crederes, Regi omnia licere; quosdam ex sacro ordine viros factum non improbasse, & quæ sunt similia, quibus te excusare niteris, verum scias (sic loquitur Jehovah) Te ipsum esse, qui Nabothum neci dedit, ejusque vineam occupavit; Tu Rex es, quem in solium collocavi; Tibi regnum, Tibi gladium commisi; Ut Patriæ pater esses, officii Tibi à me concrediti religio, salus publica, & civium vota flagitabant. Tu principalis reus es; à Te rationem exposco, eorum, quæ tua autoritate geruntur. Quod dicis, Jezabelam & nequitia illius adju- tores rem gessisse, scito, in eo culpam Tuam versari, quod non prohibueris. Annescis superiorem de factis tibi sub- jectorum respondere debere? An ignorasti, Jezabelem se- niculam esse, pessimæ ac malitiosæ indolis, ac passim in re- gno tuo querelas exaudiri, nimium invalescere malignissi-*

D ma

ma capita & optimo cuique inimicissima? Quare protervos eorum ausus non coercuisti? Quando tibi nunciatum, Archivarios, Commissarios, ac similis farinae homines protocolla five codicillos regni aliaque monumenta publica mutilasse. Quare hos falsarios bipedumque nequisimos non castigasti, ut quilibet cognoscere potuisset, fraudes quas Deus abominatur, quoque tibi displicere? an unquam tam pronis auribus eos auscultasti, qui pro salute populi verba faciebant, quam qui in detrimentum ejus peroraverunt? Animi tui sensa novi; Externa, quam profers, pietas me non movet; holocausta labrorum tuorum, quibus ad me accedis, mihi sordent, per sacri ordinis aliosque viros probos te saepius monui, suspiria ac lacrymas oppressorum ad aures usque meas penetrasse, meque fore omnis injustitiae, nisi tu eam refrenares, vindicem. Neque credas velim, quicquam apud me valere principia male suadorum pseudo politicae doctrinae, quibus inductus putasti, nullum dari adversus Regem populo Tribunal. Aliud jam experieris. Quare Tibi mando Eliae Thisbitae, haec nomine meo Ahabo referas? *Sic inquit Jehova, quo in loco linxere canes Nabothi cruorem, ibidem canes tuum quoque cruorem lincturi sunt*, ut Reges ac Principes hujus mundi, omnesque posterii, imprimis Filius tuus Joram te intuentes intelligant, me in poena irroganda parentum culpam in natos ac nepotes, ad tertiam & quartam stirpem prosequi, imprimis si Patribus in regno succedentes nefas non cohibent, ac per adultores sibi persuaderi patiuntur, a modo regendi semel introducto non facile esse recedendum. Quare sciet aliquando posteritas, quale exemplum in filium tuum Joramum statuero (*vid. 2. Reg. 9.*) *Hic Achabus Eliae: Ergone me unquam reperisti tibi adversarium?* Nonne te ut concionato-

rem

rem aulicum faciliorem ac indulgentiorem esse oporteret? nonne lenioribus ac submissioribus verbis me Regem alloqui? Nonne sacrum ordinem semper plurimi feci? Nonne complures Episcopos, Superintendentes ac Sacerdotes aulicos constitui, si aliquo tantummodo tempore se accommodare, meoque regnandi modo applaudere potuerunt, *Respondit Elias, Imo nactus sum te inimicum Dei, adeoque etiam meum & quia tu Jovam offendendo totus addictus es pessimis consiliis & suggestionibus impiorum aurem præbes, eorumque technas probas, neque cum potes, prohibes, ipse has omnes iniquitates commisisse putaris. Ad vocem meam, ac civium tuorum, qui tibi ex animo cupiunt, monita aures obstruxisti; nec lachrymæ quiritationes ac suspiria oppressorum obduratum pectus tuum flectere potuerunt. Quare ita per me Jehova loquitur; ut tu, Rex Ahabe, scias, non licere Principi vel Judici in administratione sibi concrediti muneris procedere, quo eum dominandi libido abripit, arrige aures ad audiendam sententiam, quam ipse Jova tulit in causa appellationis Nabothi Jezraelensis ab una; contra & adversus te Achabum Samaritanum; Reginam Jefabelen, impios status Ministros Samariæ repræsentantem, quin & injustos judices & ex magna commissione delegatos ab altera parte, in puncto spolii & perperam administrati Judicis officii, & quidem Tu, Rex Achabe, quoniam spretis Eliæ Thisbitæ Prophetæ mei monitis Regis officium tibi concreditum negligenter & perperam gesisti, nec injustitiam in regno tuo refrænasti, Ecce tot tibi mala importabo, atque ita Te totamque tuam progeniem disperdam, ut Achabi nil neque tam abditum neque tam obvium sit apud Israelitas, quin omnia stirpitis exscindam, etiam usque ad comminctorem parietis. v. 22. Tuamque domum*

*in eum statum redigam, in quem Jerobeami Nabothi filii, & Baasa, Achia filii domum redege, quia tu & Jovam laesisti, & Israelitas scelere obstrinxisti, nam si hæc peccata impunita manerent, verendum, ne facile passim augerentur, arces Tyrannidis, ac despotici dominatus, in exitium generis humani nimis invalescerent, verum quoniam has pestes reipublicæ odi, & damno, eris, uti Phārao in pœnam oppressionis populi Israelitici, olim fuit, exemplum vindictæ meæ & omnium gentium opprobrium. Sic enim regnasti, ut boni ac probi viri oppressi, pessimi vero regis ad exemplum se composuerint & deteriores licentia facti fuerint;*

Ut quoque palam fiat, maleficos ac sceleratos Ministros, Commissarios ac Judices, si præter officium innocentes damnarunt, vita, honore, bonis, ac fortunis suis exuerunt, vel in exilium ire jusserunt, vana hac excusatione usi gesta eorum regem probasse ac jussisse non impunitos manere. Hanc ob causam præter pœnam, Regi Achabo dictatam.

*De Jezabele quoque sic Jova pronuntiat, eam a canibus in agro Jezraelensi comesum iri.*

v. 24. *Ac qui ex Achabiscis in urbe mortuus fuerit, eum canes qui ruri? eum aere & volucres comedent. Cui consonum est illud Esaiæ Prophetæ: Væ vobis qui leges iniquas conditis, vae, qui dicitis malum bonum. Quid facietis in die visitationis & calamitatis venturæ?*

v. 25. *Hic quanquam nemo erat æque Jovæ ledendo deditus ut Achabus, qui instigante Jezabele conjuge, eo flagitiorum venisset &c. & quæ sequuntur.*

Atque hæc sunt, benevole Lector, quæ ex memorabili hac historia Biblica allegare voluimus, hac tantum mente, quia, uti celeberrimi ac pii Theologi Nostræ Ecclesiæ docent, exemplum in ea statuitur in Judices iniquos, ac simul doce-



docetur, Deum esse severum vindicem omnis iniustitiæ a Magistratu tam supremo quam inferiori commissæ, ut simul hac ratione probemus, quod initio diximus omnia ea, quæ Magistratus in civem contra leges statuit, innocenti, uti in foro *poli*, sic nec in foro *soli* detrimento esse. Talia enim gesta pro nullis, irritis, omnique effectu carentibus ab iis habentur, qui, quoties voluntas humana divinæ opponitur, Deo magis obediendum esse quam hominibus, religiose ac pie statuunt.

§. XV.

Videamus porro, quid in hoc casu dicet Jus naturæ ac vera nec infucata politica. In primis sciendum, in statu naturali neminem esse Dominum ac arbitrum actionum alterius. Nec ulli competere jus alterum judicandi seu damnandi. Sic ex indole & natura potestatis civilis facile concludere licet, eam non aliam originem agnoscere, quam consensum eorum, qui in societatem civilem coiverunt, neque hanc potestatem imperii civilis ulterius extendi, quam in id, quod probabiliter conjecturari & præsumi licet, voluisse membra societatis civilis in summum Imperantem transferre. [Grot. de J. B. P. L. I. c. IV. §. 7.] Jam vero præsumi non potest summo Imperanti absolutam plane & illimitatam potestatem concessam esse (utpote quæ nemini in semet ipso competit) pro arbitrio ac libidine sua æquitate naturali, fundamentalibus legibus societatis civilis susque deque habitis, de civium vita, honore ac bonis disponendi [Pufend. de J. N. G. L. II. C. IV. §. 9.] potius inter omnes constat ex natura negotii, si non expresso saltem tacito pacto conventum esse, ut civitatis Rector non aliter ac in salutem populi officio suo fungi debeat. Secus si fecerit vel contra leges, vel contra finem, quem habuere illi,

qui ex naturali libertate potestati alterius se submisere, ejus gesta in societate pro irritis habere, atque existimationem male Imperantis potius quam ei cui injuria illata est, lædere; Hoc enim in casu omnibus privilegiis ac beneficiis, quibus Imperantes alias gaudere solent, qualia sunt obedientia, fidelitas, reverentia, ac omnimoda approbatio gestorum indignum se reddit, ac semet ipsum exuit, ac nomen honorificum boni Magistratus in scomma Tyranni, Despotæ, & calumniatoris commutat, adeo ut membro societatis Civilis, quam primum se violento imperio exemit, facultas competat, Jura civitatis in se violata quocumque modo vindicandi. Verum est, Christianorum esse hac vindicta etsi justa moderate uti, & cavere ne terminos defensionis excedere videatur: Idem fecisse Illust. Patkulium in deductione edita patet, nec aliud sentire poterunt, si æquorum æstimatores ac viri Jurisprudentes studio partium non abrepti, scriptum illud legerint, non enim video, quibus verbis lenioribus & quo animo moderatori suorumque Fratrum oppressorum innocentiam ob oculos legentium ponere potuerit.

§. XVI.

*Ex jure natura & politica.*

His principiis generalioribus ex Jure divino & doctrina civili petitis nititur dispositio Juris communis, quæ legitimi Magistratus honorem dignitatem atque autoritatem efficaciter tuetur, non vero diutius, quam donec secundum leges sibi præscriptas officio fungitur, adeo ut sententiæ eorum non solum in locis jurisdictione eorum subjectis sed etiam extra territorium jus dicentes per subsidiales, requisitoriales, & literas mutui compassus executioni mandari soleant, quod si vero Judex neglecta regula Juris & æquæ affectibus partiumque studiis ac privatis commodis se abripi

abripi

abripipatitur, ut innocentem damnet, vel aliam injuriam  
 faciat, imprimis secundum jus commune sententia contra  
 leges lata ob defectum aptitudinis moralis ad irrogan-  
 dam infamiam ipso jure nulla est [l. 4. C. de sent. & interl.  
 l. 2. l. 5. c. quand. prov. non. est nec. vant. tr. de nullit.] &  
 existimatio sine legitima causa damnati facta tecta manet  
 [l. 22. ff. de his. q. not. infam. Brun. ad h. t. l. 4. §. 6. ff. de  
 Re Jud. Menoch. de A. Q. J. J. quæst. 90. n. 9.] Judex vero  
 beneficiis ac privilegiis suis cadit, imo notam infamiæ ubi-  
 vis incurrit [l. 2. c. de pœn. Jud. q. mal. jud. Ed. Aut. ibi-  
 dem.] nec exteri Principis protectionem defensionemque  
 sperare potest, quin imo aliæ severæ pœnæ ac castigationes  
 in injustum judicem coram proprio, Tribunali ex capite  
 Syndicatus statutæ sunt [Par. de Put. tract. de Syndicat. or-  
 din. Crim. p. 3. T. 53. §. Wo aber. Ruland tract. de Syndica-  
 tu.] adeo ut injuste ac perperam condemnato ob dolo vel  
 culpæ illatam injuriam actio male judicati competat [Ol-  
 dend. Class. act. 7. Act. 13.] ac ob interesse publicum auxi-  
 lium actoris officiosi non denegetur, Judex vero iniquus  
 tanquam infamis prævaricator, dignitate ac honore prive-  
 tur, vel etiam, prout res est, imprimis in criminalibus cor-  
 porali pœna affici possit [Carpzov. part. Crim. 2. q. 93. art.  
 52. & seqq. part. 3. q. 141. art. 7. part. 3. quæst. 111. art.  
 67.] ac parti læsæ omne damnum refundere tenetur; quæ  
 omnia in falsos ac malitiosos accusatores, qui in jure calu-  
 mniatores appellantur applicari possunt [Oldend. Clas. 1.  
 act. 10. l. 5. §. 1. ff. ad sc. Turp. l. 233. ff. de V. S. Anth. Matth.  
 ibid. c. 3. n. 1. Farin. q. 16. n. 2.]

§. XVII.

Solatii loco esse potest sine culpa afflictis, socios plures *Ex historia*  
 habuisse malorum, quorum tamen memoria omnium ore *& jure*  
 depræ- *communi*  
 civili.

deprædicatur. Sic Josephus Jacobi Filius ad adulterium sollicitatus, diu in vinculis fuit quia id facinus committere noluerat. Elector Saxo, & Hasfiæ Comes diu in carcere habiti sunt tanquam Germaniæ perturbatores, ideo quod concilii Tridentini decreta probare noluerunt. Miltiades, qui pro Athenarum libertate tam fortiter fecerat, in carcere exspiravit. Et qui quæso unquam fuerunt viri præclare de patria meriti, in liberis præcipuè civitatibus, qui non aut interfecti sunt, aut vincti, aut in exilium ejecti? *Patriæ libertatem animose tueri quicumque vis, scias minoris id non constare quam tuo periculo, jam vetus vox est.* Integritatem autem honoris ac existimationis in hisce casibus etiam Jure omnium Gentium mansisse salvam, quis negabit? Porcius Cato, qui circiter annos octuoginta, usque ad extremam ætatem ab adolescentiâ reip. causa suscipere inimicitias non destitit, a multis tentatus vexatusque, non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed quoad vixit virtutum laude crevit.

Innumera alia tam ex profana quam ex Sacra Historiâ in hanc sententiam facientia exempla allegari possent. Verum hæc in præsens sufficere ac denique omnium loco esse poterit, nobile ac notissimum illud Sanctissimi Salvatoris D. N. J. C.

Ejusque asseclarum, qui etsi sub Tyrannis ordinario „tamen Magistratus Judicio, & quidem ob falsas Criminum „contra Majestatem insimulationes gravissimis suppliciis etiam corporis afflictivis affecti fuerint, ea tamen omnia existimationi eorum fraudi & detrimento non fuerint, sed potius à viris laudatis laudati, adeo ut & eorum memoria ob Martyrium quod constanter pro fide perpeffi sunt, religiose adhuc colatur. Econtra infamiam, quam aliis irrogare

gare

gare voluerunt, ipsi ea contaminati cum actiones eorum tanquam scelestæ ac crudeles in monumentis nunquam interituræ memoriæ proditæ sint.

§. XIIII.

Ex his omnibus patet, quod ex doctrina Juris divini *Hinc oritur* ac humani, id quod integro vitæ scelerisque puro per ini- *Jus retorsio-* quã sententiam ob venit, famæ ejus nullam notam inurat, *onis.* quoniam enim ob a, quæ supra jam dixi omnia criminalia Judicia tam in foro ioli quam in foro poli si aliquem effectum habere debent justam causam pro fundamento habeant, alias Judicibus evenit, quod dici solet.

*Incidit in foveam, quam fecit ipse suam.*

Adeo ut infamia quam viris probis irrogare voluerunt ipsi quam maximè notentur, & (judicet vel totus orbis) pro malignis, malitiosis, ac infamissimis, supplicioque dignis Judicibus; Illi verò, qui eorum facta probant, ac Ill. Patkulium calumniis diffamare, ac libellos, qui famam ac honorem ejus attentant palam, quod non ita pridem in aula quadum regia factum, facere student, Jure societatis pro scelestis calumniatoribus, suoque tempore æque, ac autores injuriarum, coram Deo, ac hominibus ludibrio futuri, haberi possint, ac debeant, dum interea honor innocentis apud Viros Principes ac honoratissimos salvus atque illibatus, quamdiu quidem veritati ac honestati locus erit, manebit.

§. XV.

Admiratione omnino dignum est, audere istos homi- *Jus fuit* nes torvum videre, ac indignari, ringique. quod impia eo- *Dn. de Pat-* rum procedendi ratio publicata, de actis Responsa, à Stu- *kul causam* dio partium aliena requisita, magnæque, vel immani poti- *suam edito* us commissioni de Anno 1694. Inquisitioni Hispanicæ per- *apologeti-* *co, publice* *dicere.* quam

E

quam

quam simillimæ cæca quædam obedientia non præstita, nec privilegium infallibilitatis tributum fuerit. Plagosum illum imitari videntur, qui cum alterum atrociter verberasset, manumque cædentem læsisset, in jus vapulantem vocare voluit, eique dicam scribere, quod caput durum haberet. Nosse potius eos conveniebat, Spiritum mancipii in illis dominantem apud alias gentes nondum adeo esse factum universalem, ut alii etiam extra Territorium constituti, quibus aquilinæ ipsorum ungues nullam vim inferre possunt, nefaria mendacia in impio ipsorum processu & pessima sententia contenta, velut Sacrum quoddam oraculum five Evangelium credere venerarique teneantur. Jam tum à viris cordatis & animosis, qui in doctrina politica, ab absurda assentatorum & despotici domini Patronorum sententia sese segregarant, [Hobbes de cive Barclajus adv. Monarchom.] solidius demonstratum est, in imperio civili etiam civem in individuo posse à summo imperante lædi, ac injuria affici. In primis quidem, si summus imperans justitiam civi non rite administrat: virum honestum, integrum vitæ scelerisque purum probro afficiat, ejusque corpus, vitam, honorem lædat, vel possessiones & bona adimat: [Pufend. de J. N. & G. L. VII. CIII. §. 4. 5. malitiosos accusatores vel similis notæ Judices, ei immittat, ut sententia iniqua in eum feratur. Denique teneri quidem subditum ad leviores Principis injurias connivere easque patienter ferre: posse autem injuriis hostili animo à Principe illatis, si medium aliud nomen non sit reliquum, vim parem, nullo jure vetante, opponere. Isti vero Patres conscripti, Commissarios supra laudatos puto, qui tamen & ipsi sunt subditi, suumque officium ex commisso tantum, administrarunt, adeoque non tantum supremo in foro Poli  
verum

verum etiam & hominibus in foro civili actionum suarum rationem reddere tenentur; Usque adeo, ut, si ad huc spes foret certa, posse aliquando magnam illam inimicorum in Svecia potentiam vel vinci vel leniri, jus ac justitiam impetrari, iudices isti delegati secundum jura civilia promeruerint, ut coram throno Serenissimi Regis Actio doli & male judicatum contra eos quam accusatores, institueretur, ipsique præmiis quæ pœnas vocamus, & de quibus in præcedente 16. §. egimus, in exemplum omnium iniquorum Judicum, afficerentur. Ibi inquam præficta tamen fronte, majorem potestatem inmunitatemque quam ullus Monarcha sibi arrogare audent, neque ii videri volunt, qui Domino Consiliario intimo unquam injuriam facere potuerint, aut eam ob causam quis ipsos coram viris honestis iniquitatis arguere possit vel audeat. Imo tametsi ejus corpori vitæ, honori, & universæ salutis infidiati sunt, eumque adhuc dum, quo possunt, modo persequuntur, licet fugam & emigrationem, ceu extremum ad quod subditus, solum in respectu Principis ac Domini sui obstrictus censetur, ad aliquid amplius in tali persecutione minime cogendus, capessivit, nullum tamen ei in orbe terrarum securum tutumque locum concedere volunt; quinimo, si modo in ipsorum esset positum potestate, omnes Principes Christianos, imò universum genus humanum & cuncta Elementa (Tanta est eorum acerbitas ac præceps ad nocendum cupiditas) in eum excitarent. Hoc adeo impune se facere credunt, ut existiment, nemini, ut ut nullo vinculo ipsis amplius obligato, fas esse, ulla ratione his prætoribus se opponendi, processum ipsorum ne quidem reprehendendi & examini honestorum hominum submittendi, ac modo tam licito famæ integritatem servandi. Non aliter

ac si enorme crimen esset expiatione dignum vel, uti ipsi clamitant, exemplum sine exemplo, quod in editis Responsis, Processus eorum ad regulam æquitatis & juris communis naturalis, apud omnes cultas Nationes receptam, ac in ipsamet Svecia observatam vel potius observari debitam examinatus fuerit. Quasi solis ipsis dictatoribus suprema conveniat in terris potestas jus & justitiam pro arbitrio, libidine & captu suo administrandi eademque ad instar nasi cerei inflectendi, sic ut parti læsæ neque integrum sit vel hiscere ac quærere: *Papa quid facis?* Verum semper habet lupo in agnum jurgii causam.

*Cum inquit, turbulentam mihi fecisti aquam istam bibenti?*  
Nec quicquam agno prodest respondere:

*Qui possum, queso, facere quod quæreris lupo? a te decurrit ad meos haustus liquor.*

Alibi vix vel supremam potestatem, vel Principem, reperies, minimum, ex iis qui moratioribus accensentur, qui in suo regimine id vetus illud dictum non respiciat: *Omne sub Regno graviore est Regnum*, [Seneca in Thyeste, observetque in super, quod in libro Sapientiæ Cap. VI. scriptum legitur. Proinde si quando rem arduam majorisque momenti molitur bonus Princeps sollicitus esse solet ut publicatione eorum, quæ vel acta sunt vel ad huc aguntur, palam se defendat [Puffend. de J. N. G. L. VII. C. VI. §. 2.] ac de rebus suis judicium amicum ac favorabile in foro omnium gentium sibi conciliet, simulque indicet, illud tribunal in more Populorum esse fundatū ac ab omnibus iis, qui honestati non sunt infensi, vel cauteriatam habent conscientiam, ultro recipi. Quemadmodum tandem etiam illi qui antea in schedis vel cogitatis suis nulli censuræ subjectos sese existimarunt, mox deinde ad judicium cultiorum hominum

minum



minū provocantes dedecori sibi non vertunt sibimet contradicere errorem agnoscere tandemque sententiam mutare in melius mendacii sese arguere.

§. XX.

Cum hæc ita sint, vir honestus & affectu carens Domino Confiliario intimo vix vertet vitio, quod eo, quo factum est, modo, beneficio Deductionis sese contra vehementem Suecicorum persecutorum vim defendere studuerit. Conatus ejus plausibilior eo ipso redditur, quod perpesis tantisque injuriis in Svecia, non e vestigio, ut quidem fas ei fuisset, Manifestum sive scriptum apologeticum publicaverit, verum omnia satis diu patienter ac immoto animo toleraverit. Jam tum ab omni officio & obligatione Sveco olim debitis solutus, naturali suæ libertati restitutus, servitiis Serenissimi Polonorum Regis addictus, atque adeo nullo amplius vinculo Regi Sveciæ obstrictus erit, ut hostibus suis parcere aut quicquam connivere necesse habuerit. Ipsi nihilominus constanter eum laceffere, vitam ejus venum exponere, ficarios conducere, libellos famosos & injuriosos lingua Germanica, Latina Gallica & Polonica scriptis typis publicis contra eum evulgare. Quibus rebus, patientiâ nimis læsâ, tandem adductus & compulsus, sub præsidio moderaminis inculpatae tutelæ ad Apologiæ publicationem animum induxit quod omnes honesti & boni viri valde probarunt, neque illos, quos observavit gradus defensionis, nemo in malam partem interpretari potest, nisi si quis partium studio usque adeo occæcatus à fruitione communium beneficiorum, quæ cuivis in hominum societate patent, eum excludere, atque adeo exposcere velit, ut omni sensui sollicitudinique pro vitæ ac honoris sui conservatione, quam singulis implantavit natura, & e qua

*Alter facere non potuit Suecorum vexis ad id coactus.*

obligatio naturalis hominum erga se ipsos oritur, solus renunciarer, atque ita solus ipse in toto terrarum orbe esset, quo jure hominibus concessio frui non debeat. Persecutioni tam violentæ acerbæ neque unquam interruptæ nihil præter Deductionem tam modestam opponere, revera via est lenissima, quæ ad sui defensionem excogitare quis posset; cum potius Jure talionis licitum Domino Confiliario fuisset, eadem omnino ratione contra adversarios procedere pariterque vitæ ipsorum insidiari. Et posito, sed non concessio, debuisset ipsum id, quod in eum decretum erat eo tempore, quo Reg. S. Maj. Suecorum adhuc subiectus & obligatus esset, pati ac tacendo tolerare; (quæ tamen obligatio non diutius, quam cum formidine contra violentiam durare potuit) non tamen amplius legalis processus dicitur, si in eum, qui ab obedientia Magistratui debita liber & solutus est, modi tam infami scribere & declamare quis tentet, facta animo injuriandi recoquat, injurias injuriis cumulet, merasque calumnias, omnibus probis nec affectibus deditis animis nauseam cientes, adeo incogitanter eructet. Quamobrem ægre ferendum non est, si eodem aliquis modo tractetur & si sylva quas, libello famoso, sub *justa animadversionis* titulo divulgato, recepit voces, per *Eccho* reddit, adeoque par pari refertur cum vetus sit proverbium: *Qualis in terrogatio talis Responsio, si mihi pergat quæ vult, dicere, ait Comicus ea quæ non vult, audiet.* Cui consonum videtur Christi oraculum: *Qua mensura mensi fueritis, eadem metientur vobis,* & illa Pythagoræorum vox: *Qui patitur quod fecit, ei jus contigit æquum.* In omni enim jure utique justum est vicissim reddere qui affligunt, afflictionem: afflictis vero quandam relaxationem.

§. XXI.

Conjici potest haud difficulter, quam sit bolus iste con-  
 coctu difficilis hominibus istis, quod auctores Responso-  
 rum, ut probi & conscientiosi viri, Deo plusquam homini-  
 bus obediens in Responsis oppressam veritatem & justiti-  
 am, ab injustitia & mendaciis mascule vindicaverint, eo-  
 que ipso lumen de suo lumine accenderint, cujus benefi-  
 cio in horridam, tetram ac tenebrosam damnatae in justitiae  
 abyssum, in qua famigeratum illud magnae commissionis  
 decretum est fabricatum, lux intromissa, Hydraque in spe-  
 ctaculum totius orbis terrarum eorumque qui jus & justiti-  
 am diligunt, uti est nuda &, ni fallor, secta necataque sisti-  
 tur. Si ergo Domini Respondentes Svecicorum Judicum  
 voluntati in judicando satisfacere nequiverunt, horum id  
 culpa factum est, quod rem aliter ac pro officio ordinare de-  
 buissent. Interea Dominorum Referentium processus à  
 Calumniatoribus Svecicis improbatus documento est, eos  
 quod viros bonos probos & religiosos decet, ad immorta-  
 lem sui gloriam egisse, nullam potestatem mundanam re-  
 spexisse, sed scapham scapham dixisse, omnino sicuti offi-  
 cium, jus jurandum & recta conscientia requisivit, ipsique  
 coram omnibus Juris peritis honestatem colentibus, ac tan-  
 dem etiam coram tribunali divino defendere se posse con-  
 fidunt. Fecerunt pro officio sincere palam, nulla simu-  
 latione vel circuitione usi, ac cur nec aliter judicare potu-  
 erint, cujuslibet inquisitioni & censuræ submisere, ratio-  
 nesque dubitandi ac decidendi cordate aperuerunt. Quod  
 si jam magnifici Domini Commissarii nostri, quotquot eo-  
 rum pro sententia lata steterunt, deprehendunt, Dominos  
 referentes rem perperam cognovisse, jus ad factum minus  
 commode applicasse, rem sibi admodum honorificam face-  
 rent,

*Præter fas  
 scriptum  
 illud apo-  
 logeticum  
 damnatur  
 ac combu-  
 ritur.*

rent, quod si illos commissi terroris per contrarias rationes Juris & facti publicè convicerint. Hoc ni fallor, facile præstare possent, præcipuè cum tot celebres Facultates Juridicas in terris Svecicæ ditionis, suæ dispositioni obnoxias, & in iis tot viros eruditos, prudentes ac claros habeant, quorum adjumento facile litem finire possent, nisi unum hoc esset obstaculo, quod candidi & probi viri tam voce quam calamo ad malæ & injustæ causæ defensionem invitentur. Pessimum interea indicium esse videtur, Architectos præ laudatæ sententiæ (quæ sane insigne ac nobile singularis injustitiæ exemplum futura est, quoad ejus vigebit memoria] lucem tantopere fugere, ut more majorum ac via ordinaria causam dicere litemque contestari non fuerint ausi. Quando sc. carnifici Holmiensi, qui operam suam cædendis torqvendisque hominibus facinorosis locaverat, chartam innocentem, cui juridica ac legalis Viri optimæ innocentis Defensio typis impressa erat, comburendam ac ultimo quasi supplicio afficiendum tradiderunt. Hæc ipsorum inconsiderata temeritas ipsa eos damnat, maxime quod hic Jure Consultus ac causæ eorum Patronus in auxilium vocatus, causam eorum magis reddiderit exosam, quam defenderit; adeoque honorarium, de quo in amica negotiatione ac familiari colloquio eos cum ipso convenisse, dubium est nullum, minime promeruerit, verendum potius est, ne suo tempore, si ipse forsan fatis concesserit, certe aliquando ejus posteris ac nepotes, pro more laudabili apud Svecos recepto in præmium patrocini hac in re præstiti, observatione quadam notabili donentur, ac pœnam quadrupli vel amplius luant.

§. XXII.

§. XXII.

Existimant ipsi quidem, se officio suo omnino satis fecisse, & supra quam opus erat, se defendisse, eo ipso quod Deductionem, una cum Responsis publicè igni cremandam dederint, ac convitiis, calumniisque continuis etiam Dominos Respondentes laceffere pergant, quando Responsa horum Prudentum, imprudentia Responsa ipsosque auctores, Calumniatores Saxonicos adpellant. Noverint autem isti obtrectatores Svecici, Minorum Respondentium existimationem, quam eruditione ac Zelo pro justitia ab omni cupiditate alieno sibi compararunt, ita jam passim esse stabilitam confirmatamque, ut obscœni hi conviciatores, ex quorum cantu, quales sint aves, facile cognosci potest, per fœda convicia pares non sint, nec Dominum Consilianum, nec viros hos cordatos deque Republ. optimè meritos vel minimo afficere opprobrio. Imo quamvis verbis durioribus ac longe agrestioribus, Responsa & deductionem iterum lacerent, ac singulis omnino annis de novo, festo quasi anniversario indicto, comburant: imo in hoc actu cum omnibus solennitatibus, Carnifici manus auxiliatrices ipsimet porrigant aut venditionem Exemplarium in ditione sua quam severissime prohibere velint: memoriam tamen facti nequissimi & irreligiosi hoc ipso non delebunt, nec aliud quid efficient, quam quod quilibet processum tam ferum, barbarum ac iniquum, prout justum & æquum est, in ipsorummet indelebile dedecus & opprobrium interpretabitur. Quando enim Scripta Carnifici comburenda traduntur, necessario requiritur, si combustio notam infamiæ Auctoribus eorum movere debeat, ut ejusmodi scripta vere criminalia & ignominiosa inveniantur. Id si non sit, neque effectus illâ combustionem quæsitus con-

*Infamia in  
autores facti  
ac calumniantes  
ipsum re-  
dundat.*

F

sequi-

sequitur. Illi ergo, qui virorum bonorum scripta, nec æquitati nec honestati adversantia, quinimò rectè se habentia, comburunt, præcipuè si extraneos & alienæ potestati subiectos concernant, non solum absurditatem & nullitatem admittunt maximam, verum pro eo etiam, quod auctoribus Scriptorum intentant probrum, dedecoris potius simulacrum ipsi sibi statuunt, dum ubivis locorum pro furibundis & barbaris Cyclopibus, levis animi hominibus habentur, qui ipsi promeruerunt ut disciplinæ licitoris & virgis subjiciantur. Testis etiam est experientia, licet multorum bonorum virorum scripta ex cæca malevolentia, aut veritatis patefactæ tædio exusta sint, nullo tamen auctoribus dedecori id cedere, cumque comburentium intentio fuerit memoriam scriptorum abolere, aut eo ipso nauseam ad legenda illa creare effectum tamen prorsus contrarium per id consequuntur, quando apud multos qui cæteroquin de iis ne cogitassent, quidem, curiositas eis potiùdi hoc ipso primum excitatur, atque sic memoria eorum potius asservatur. [Vid. Tacitus Annal. IV. c. 35. la morale de Tacite par Mr. Amelot. art. XXXIII. Amelot. dans les notes sur Tacite.]

Quemadmodum igitur jam antè Domini Confiliarii conatus in *Deductione* satis est probatus & excusatus, sic Domini etiam Respondentes nihil, (\*) præter quod licitum, laudabile

---

(\*) *Responsa prudentum sunt sententia & Opiniones eorum quibus permissum erat de jure respondere: nam antiquitus constitutum erat, ut essent qui jura publicè interpretarentur quibus à Cæsare jus respondendi datum est qui Jurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententia & opiniones eam auctoritatem tenebant ut judicè recedere a responso eorum non liceret, ut est constitutum.*

dabile & honestum est, respondendo fecerunt: dum partim Magistratus mandato, in genere vero, postquam potestas de jure respondendi plenarie ipsis concessa erat, [*Instit. de J. N. G. & C. §. 10.*] officio suo & juri jurando, quod Deo & almæ justitiæ dederunt, se omnibus de jure ipsos consulentibus, id candidè & sincere impertituros, ad immortalem sui laudem satisfecerunt, adeoque in re licita versati, ac in legitima vocatione sua occupati fuerunt. Et licet hi papyroktoni Svecici Regis Polonorum literas ab illis separarint, tamen præcautione hac simulata prævia, debita Regi reverentia plane non est exhibita, quod nihilominus Responsa Prudentum ad Majest. suæ Regiæ mandatum data, exusta, quodque haud fuerit animadversum, in eadem generalis tituli pagina impressæ Deductionis & Responsorum expresse indicatum esse, Publicationem totius operis cum speciali Regiæ suæ Majest. Polonorum privilegio & protectione factam esse. Cujus intuitu effectus moralis idem est, an literas Regias ab iis separaverint, an simul cum eis exusserint. Quo ipso profecto, atrocissima est injuriâ Majestati Regiæ illatæ, exemplo verè in audito: Quam ob causam in medio relinquitur, quo pacto, quave ratione S. Maj. Reg. Polon. hac de re sibi satisfactionem quærere ac injuriam vindicare velit. Si itaque hominum istorum inconsiderata malitia nec Regibus nec Principibus, parcit; quid mirum, quod in Dominum Consilianum & Dominos Respondentes tam immaniter sæviant, tamque inepte & absurde agant, quibus adeo, inde non plus, accedit opprobrii, quam si à vesanis aut furiosis invadantur: adeoque, optimo jure cum Solone dicere possunt: *Quid si asinus me calcitrasset?* Interim omnes honestatis cultores exinde cognoscant & judicent oportet, rabiem hanc inde esse, quod

F 2

Calu-

Calumniatores non habuerint, quod ad Responſa hæc tam ſolidè elaborata reponerent, dum publicè ob mutescendum fuit: Siquidem Doctores noſtri Saxonici craſſæ illorum ignorantia in formalibus proceſſus æquè ac in materialibus prodiſſæ, Juris cognitionem ſolidam: inſuper irreligioſo eorum proceſſui, zelum pro juſtitia ἀπερωπόληπτον oppoſuerunt, & his Fratribus ignorantia vel doctoribus nequitia viam commonſtrarunt, quomodo, quave ratione Judex æquus in rebus tam arduis procedere ſcireque debeat, ſe judicium, in terris, non hominibus, ſed Deo excercere. [2. Paral. XIX. v. 6.] Cui etiam profectò vereque, quibuſcunque rimofis & ficulneis argumentis violentiſque auſibus judex iniquus ad tempus hic ſibi conſuluit, olim exactiſſimam rationem reddere, & cum illo qui & ipſe in conſpicuis Commiſſionibus & Judiciis juſ adminiſtraverat, exclamaret tenebitur:

*Nuper eram Judex, nunc judicis ante Tribunal.  
Subſiſtens paveo judicos ipſe modo.*

§. XXIII.

*Criminatio  
refellitur,  
quaſi Re-  
ſonſa actis  
& probatis  
non ſint  
conformia.*

Sed quis porro non miretur nefariam, ſciolorum noſtrorum protervitatem, quando incuſare Dominos Reſpondentes non erubescunt, eos rationum ſententia, Legum Svecia, Receſſuum Regis, ſtatutorum & conſtitutionum ſolidam non habuiſſe cognitionem, adeoque in Reſponſis rectè pronunciare nequaquam potuiſſe. Acutum hoc argumentum inde eſt, quod imaginarii hi Magi è ſeptentrione cenſent, neminem ſcire, quid apud ipſos in Parnaſſo agitur neque poſſe peregrinum agyrtarum iſtorum artes comprehendere, vel explorare, quam ſubtilis Prudentia Juris & rara Politica apud eos viſgeat, cujus beneficio cum regione regnum feliciter ac brevi temporis ſpatio ad interitum ſuum perducere & celeritate incre-

incre-



incredibili in casu necessitatis processus subtilis & nequissimus fabricari possit. Molestè igitur non ferent, quod audeat quis ex iis quærere: Undenam Juxta principia ipsorum Juridica Judex rationes sententiæ teneatur depromere? Dum vero expectamus responsum, placet hic paucis tantum attingere, praxi judiciariæ alias congruum esse, ut rationes sententiæ ex actis desumantur. Quando igitur libellatio, exceptio, replicatio & duplicatio, tandemque ab utraque parte actorum ad sententiam subscriptio facta est; solent exinde rationes sententiæ colligi, maximè in processu accusatorio Criminali. Sicut ergo omnes istæ Theses principales typis publicis adsertæ sunt: Sic Domini Respondentes ex iis rationes responsi formarunt, nec aliunde eas conquirere opus habuerunt, quandoquidem Commissionis Judicium ipsum indicat, Architectum ejus omnem ac præcipuam scientiam suam impendisse, ut rem non secus, quam per rationes ex ipsis actis, quas & allegarunt, & è libello potissimum coacervarunt, decideret: hoc tantum discrimine, quod Jcti Svecici in facto nihil præter mendacia & calumnias supposuerint, ubi econtra Saxones veritatem religiosius indagarint & in probationes melius inquisiverint. Neque eos omnino rudes Jurium & Legum Sveciæ cum publici juris factæ sint, fuisse, ex ipsis Responsis apparet. Verum de eo in Responso Germanico p. 58. §. 56. & 57. actum est pluribus, quo brevitatis causa lectorem remittimus. Si vero Spiritus sapientiæ Sueciæ hanc filiis suis excusationem inspiravit, ut aliam processus formam, alia jura ipsi observaverint, quam quæ apud gentes moratiores valent quodque crimen læsæ Majestatis longè alia sit res apud ipsos quam alibi: est certe cur dicant, ejusmodi mysteria & cuniculos Dominis Respondentibus esse igno-  

F 3

ta,

ta, Dominos Commissarios Jura sua non in Academiis Europæis vel aliis legitimis Collegiis Juridicis, ut Domini Respondentes, verum in Tartaria forte Crimensi didicisse, quod sese regulis, quas injustitia, rapina & violentia dictant, conformare adsveti sunt. Quo rerum statu Jurisperitus non mirabitur eos in scheda sua Responsa velut in prudentia, esse criminatos, cum notum sit rudioribus ferisque barbaris, jura, consuetudines & mores nationum civilium, absurda semper & absona videri, quodque in congregatione volucrum noctua sibi semper avis prudentissima pulcherrimaque videatur. Quocirca capi vix potest, qua isti homines insania laborarint, cum futile hoc & elumbe focii scribentis argumentum ad sui exculpationem approbarunt. Forte in sententia ferenda imitari Arithmeticos volunt, qui sæpe solent dicere: *Quatuor scribantur, octo in mente servantur.* Hoc vero in actionibus forensibus non procedit: Quicquid in actis candide sincere ac publice tractatum non fuit, nec à reis recognitum, aut Responsione defensum perque contradictiones ventilatum, efficaciam nullam habet. Et sicut jura omnino, præsertim in causa criminali innocentiam vindicare solent, ideoque reo favent: sic nihil prorsus admittitur, quo quis criminum gravissimorum obnoxius reddi possit. Quandoquidem itaque Domini Commissarii sententiæ rationes non ex Actis petunt, nec omnes ut videtur, in sententia, explicite tradunt, verum mentales fovent reservationes ac pro arbitrio suo pronunciant, certè Dicastrium ipsorum haut secus atque Agyrtarum officina est considerandum, ubi technæ occulte quas præstigia & *bocus pocus* appellant, cudentur, quas nemo, nisi arti eorum addictus, capit.

§.XXIV.

§. XXIV.

Ineptum porro est, quod nequissimus schedæ auctor  
 Actis nostris, Dominis Respondentibus exprobrare fuit au-  
 sus, *eos nosse melius debuisse, quid dignitati Potestatum superiorum  
 ac capitum coronatorum et si hostium, conveniat, quid ve alias ipsa  
 honestas ubique postulet; adeoque illos non debuisse, tam à Rege  
 Suecorum factas dispositiones, quam ordinum ejus conclusa repre-  
 hendere.* Quemadmodum igitur unus quisque ex factis &  
 gestis, uti arbor ex fructibus, cognosci judicarique solet; sic  
 honestus quilibet istis viris bonis & religiosis, in quan-  
 tum fama ipsorum innotuit, testimonium perhibere potest, eos,  
 non minus in communi vita & conversatione, quam alias semper  
 quoties officii, quod gerunt, ratio obtulit, pro sua, qua præditos  
 eos novimus, modestia non solum debitum Potestatibus superio-  
 ribus respectum, etiam non motos exhibuisse, verum etiam, cum  
 eorum aliqui publicam docendi ac studiosam juventutem infor-  
 mandam provinciam sollicitè ornent: ex ipsorum institutione &  
 scriptis præclaris satis superque constitit, ipsos doctrinam juris  
 ad salutis Reip. conservationem collineantem summeque necessari-  
 am, in verbo etiam Dei fundatam juventuti instillare, ita, ut  
 ex ipsis tandem idonea civilis societatis membra efficiant,  
 summa cura incumbere. Quare hac in re præceptore tam stolido  
 haud indigent, quin imo optimo jure monere eum possunt, ut,  
 si ejus esset ingenii ac eruditionis, operam suam impendat ad  
 præceptum de officio cujuslibet hominis erga Potestates Superio-  
 res urgendum, neque vero prætermittat Articulum de officio  
 Imperantium erga subditos tradere; ut eum imprimis, non pro  
 more adulatoris & parasiti, sed tanquam vir cordatus, secundum  
 præcepta juris tam divini quam humani accommodet, atque caveat  
 sedulo,

lo, ne Patroni & Collegæ sui in arte regiminis politici tot errores ac solæcismos committant, quot quidem hæctenus ab omnibus ferè in illis jam notati sunt. Nec minus laudabile opus molietur, si curam studiumque, suum eo impendere velit, ut juventus, ex qua Judices aliquando constituendi sunt, in tempore, ac melius quidem quam didicerunt & narraverunt Patres, addiscat, quam sit ardua hæc functio, quam gravis Deo & hominibus de ea ratio sit reddenda, quodque potissimum, si forte quis popularium suorum adolescens adhuc desidiosus ardelio fuisset, qui solidam juris cognitionem sibi non comparavisset, in muneris judicialis administratione teneatur tamen ignorantia suæ, alios prudentes viros consulendo, succurrere, ac facem sibi pati præferri, ut intelligat, quæ sint processus substantialia, quomodo in criminalibus, in quibus non agitur de glande legenda, sed de honore ac vita hominis, caute ac ordinate procedendum sit: atque ut, ubi præsertim de crimine læsæ Majestatis, Perduellionis, Perjurii, seditionis &c. in judicio agitur, diligenter inquireat, qualia præcise crimina hæc sint, in quo consistant, quid ad essentiam eorum pertineat: quid jura de iis disponant, & summatim, quomodo Judex, (ni hallucinari vel crassum errorem committere, injusteque, agere velit) in his ita procedat, ne, si fortè sententiam ferat infipidam eaque aliorum prudentum censuræ subjiciatur, hi animadversa nullitate & enormium errorum correctione, occasionem nanciscantur eum servandi morem, qui cum pueris in ludo literario servatur, quibus ad errorum in proposito themate admissorum emendationem, in signum vel negligentia vel ignorantia, caput Asininum auribus longis insignitum solet in margine pingi, ut hoc hieroglyphico commonefacti cogitent, è quali cerebro labor ille

pro-

promanarit. Atque hæc sollicita juventutis instructio tam necessaria & utilis est, ut popularibus suis id ipsum quod judicem nosse oportet, sub ferula & disciplina scholastica instillet, ne tandem in virili ætate, quando officiis ejusmodi admoventur, sive in judiciis ordinariis, sive Commissionibus magnis, per sententias juri & justitiæ contrarias, in quibus ignorantia cum malitia pugnat, Carnificis virga dignos reddant. Si vero audaci huic Præceptori desit habilitas, quominus hæc sana juris & politicæ scientiæ præcepta in terris suis recte tradere possit; dabitur procul dubio aliquis ex Jctis Saxonis, qui ex discipulis suis quempiam, vel amanuensem submittet, à quo primū doceatur & convincatur, quam absurde egerit, quandō Viris tam eruditis & celebribus, uti anser oloribus, obstrepere ausus est: utpote qui in supercoram Deo & hominibus testari possunt, sibi, quod & ipsum in aprico est, nunquam constitutum fuisse, in Responsis contra decentem Regiæ Maj. Svecicæ respectum aut dignitatem quid scribere, sed ejus memoriam, quoad vivunt, omni officii & observantiæ genere venerari, ac in hoc ad dies usque vitæ perseverare velle. Et quid obsecro causæ, induxisset eos, ut indecenti actionum Regiarum reprehensione peccarent, cum & propositæ ipsis quæstiones & ad has factæ decisiones ad nihil respexerint aliud, quam ad acta judicialia, in quibus non Regis actiones & dispositiones; sed judicum irreligiosorum iniquus processus est examinatus. Apparet etenim, ut postea pluribus probatum dabitur, istos judices, uti meris fallacibus præstigiis usi ubique sunt, ita & hac in parte summa cum injuria se sub clypeo excelsi & sancti, Regis nominis occultare nequitias suas, hoc specioso quasi tegumento palliare, ac eo ipso debitæ coram honestis hominibus excusationi se subtrahere voluisse.

G

Ex

Ex omnibus ita apparet Donum impudentiæ non deesse his Calumniatoribus Svecicis, imprimis ubi alios de honestate & quæ ad superiorum Potestatum, Capitumque coronatorum dignitatem spectant, supremosque Principes colendos observandosque esse etiam si hostes sint veluti si es Minervam, docere sibi præsumunt. Qui hac in re aliqualem de rebus ipsorum hætenus gestis notitiam habet, is certe doctoribus istis Svecicis eam fidem adhabebit, ac si Messalina resurgeret, deque Castitatis laude fuse peroraret. Neque honesti omnes ex actis Svecicis & famosis libellis passim disseminatis, maximo cum scandalo animadverterunt, homines istos de honestate ac Respectu Capitibus Coronatis debito vix plus nosse, aut in scriptis actionibusque suis testatum facere, quam ulla nationum barbaricarum etiam immoratorum. Cujus rei partim clara in prædictis eorum actionibus & cyclopicis procesibus deteximus vestigia, partim etiam alias innotuit universis, quales sese aliquandiu erga Reg. S. Maj. Polonicam gesserint, quando contra eam, velut impii & infames Majestatis stupratores, multa contumeliose scripserint, ut adeò quis Jure ipsos monere possit, suum ut finem introspiciant & *Nosce te ipsum* melius in praxin deducere discant, priusquam aliis leges & regulas vitæ præscribere sibi præsumant. Qui enim alterum incusat probri eum ipsum se prius intueri oportet. Stoliditas etiam non parva est, quod ordinum Svecicorum decreta Regni producunt in scenam, hoc procul dubio fine, ut iis velut repagulo & obice quodam utantur, & injustum tyrannicumque processum Livonis intentatum palliare queant. Hic iterum novam in ipsis fraudem artemque notamus, quod videlicet pro fundamento Reductionis Livonicæ allegant Ordinum Svecicorum Regni

gni

gni decreta, si vero interrogatio & investigatio instituat, an & quousque Livonica provincia ex decretis comitialibus Regni Svecicæ dependeat? è vestigio refugiunt ad ignorantia ac nequitia asylum, dicentes: hoc esse mysterium non nimis curiose & accuratè inquirendum, nisi quis periculum Processus Criminalis, aut gravis alicujus accusationis de Majestate læsa accersere sibi velit, quod nobile inventum hominibus de veritate ac justitia nimium loquentibus, os statim occludit. Mihi vero videtur has technas orbi sic satis clare in Collectaneis Livonicis sub No. XXIII. esse detectas, indeque colligi posse, Ordines Svecicos in comitiis nihilo magis, quam si ordines Maroccani conclusum facere vellent, Livonis leges potuisse aut voluisse præscribere, ac de bonis eorum, privilegiis & universa felicitate temporali, decreta adeo damnosa, præcipue ipsis insciis concipere & extradere. Nullitas hujus prætextus quidem palpabilis est & tamen isti homines malitiosi malunt sese constanti aperta veritatis oppugnatione prostituere, quam rationi & æquitati cedere. Et quid tandem Dominis Respondentibus negotii, quod ad ipsos attinet, cum decretis ipsorum Svecorum comitialibus intercedit? Sanè ipsi nullam sibi in ea cognitionem vel investigationem indecentem vindicaverunt, quod in hac de re nulla ipsis quæstio proposita fuerit, de quo in Responso Germanico §. 54. & 55. pluribus legere est, sed mentio facta est in comitiis Regni decretorum, ea occasione, prout Livonia forum illud agnoscere semper detrectavit, non sine directo, in quantum scilicet Judex æque ut actores, in actione juridica & processu ordinario, ac isti quidem præcipue in libello, totam intentionem suam ejusmodi decretis comitialibus fundarunt: sibi ergo ipsi exprobrent oportet, quod decreta sua Comitiorum Regni futili

G 2

& in-

& injusto suo Processui miscuerint, perque incompetentem allegationem ipsimet se prostituerint. Id interea certum est, Ordines Livoniæ viris à studio partium alienis laudato supra Memoriali sub No. XXIII. perspicue ob oculos posuisse, columnam fundamentalem iniquæ Reductiones in Livonia, non nisi vi & injustitia inniti, neminemque sanæ mentis eo absurditatis & malitiæ procedere, qui adstruere porro aufit Reductionem Livonicam in Svecia ritè ac competenter decerni, eamque executioni postea dari potuisse. Hanc tantam vim & injuriam, quæ negari nequit, & in cælum clamat, apertamque injustitiam teste cujuslibet veri Christiani conscientia, Deus justissimus absque dubio jam detestatus est, suoque judicio animadvertere in eam, ut cœpit, perget, ut miserum afflictumque populum suum ex laterariis Ægyptiacis tandem liberet.

§. XXV.

*Neg. falsum in iis commissum*

*Deductionem atq; Responfa variis mendacibus dictis & falso confictis calumniis referta fuisse, Dominum etiam Consiliarium longâ consuetudine ingenium sibi formasse, actiones Regiæ Majestatis Svecicæ beatissimæ recordationis, temere impugnandi, meræ & malitiôsæ sunt calumniæ. Videtur veritas calumniatoribus naribus odorem adeo acerbum offudisse, ut Deductionem & Responfa nulla re melius, quam in genere, accusatione commissi falsiloquiî refutare potuerint, etsi per rationes dignas fide hoc ipsum non præstiterint. Verum ubi vis aqua iis hæsit: Crediderunt sufficere illud, quod Medias flagitiosissimus Alexandri parasitus suggestit: Calumniare audacter semper aliquid hæret. Ut enim maxime sanet vulnus, qui delatus est, manet tamen cicatrix. Ne vero & in hac re desiderent Responsum, illud habeant, infamem illum scripti auctorem cum factione sua tantisper mendaces & calumniatores*

atores



atores nequissimos reputari, dum singuli, quod virorum integrorum est, dictis fidem faciant. Si omnino reperire in iis, quæ Exc. Dominus Consiliarius, typis publicis evulgavit, falsa licet, certe in accusatione ipsorum irreligiosa & impia, quod cuivis notum est, pronunciato judiciali observantur. Ea tot mendaciis & calumniis malitiosis abundant, ut architectis eorum dui satis ante proprias ædes depurgandum sit, priusquam cœno, quo ipsi fœdati sunt, aliis honestis maculam illinire possint.

Ejusdem quoque farinae est, quod de actionum Regiarum temeraria impugnatione incogitanter scribunt. Quilibet vir honestus actiones Regis ab impiis ministrorum suorum processibus distinguet, noveritque illas certo respectu defensione opus non habere. Quin etiam vix foret excusabile, si Regem Christianum & pium scelestorum facinorum ministrorum quis velit facere participem. Id quod tam à Domino Consiliario in Deductione quam in Responsis Prudentum, ut decuit, observatum fuit. Ex quibus sane apparet, novisse ipsos reverentiam Coronatis capitibus, etiam iis, quorum potestati subjecti non sunt, debitam longe melius observare, quam Præceptores istos intempestivos. Quando injusta ipsorum acta perstringuntur, & quibus artificiis, quanta malitia sint usi, officio vero iis concreto abusi, ob oculos ponitur, ipsi vero actiones suas decenter & publicè defendere se posse diffidunt: Illico Regis pallio semet tegere & improba scelera sua pro Regiis actionibus venditare, institunt, hinc persuadere aliis volunt, irreligiosos illos deductionis observationis processus, aliasque harpyiarum ideas à Rege proficisci ac ipsius esse dispositiones. At hoc ne est Regi ac Domino suo existimationem ac auctoritatem conciliare, eamque conservare, quod cujusvis boni Mini-

stri munus & officium requirit? Pudere ipsos conveniebat, quod Regi innocenti, omnibus virtutibus ac regnandi donis quæ boni cives exoptare Principi possunt, à superis exornato, pessimos suos dolos ac technas adscribere contentur, hoc solum fine, ut flagitia sua tali auctoritate obsepiant, ne quis contra ea vel hiscere præsumat. Solenne alias est, si Reges ac Dynastæ quicquam moliantur, quod aliis vitio vicinum minusque, legitimum videri posset, quod eorum Ministri odium in se recipere, ac Domini sui existimationem liberare student. Hi vero contrà faciunt, contenduntque, ut omnia impia acta, ut ut sui cerebri fœtus sint, pio ipsorum Regi imputentur, ipse eorum loco prostituatur, omnium hominum, etiam subditorum odio graveatur, omnibusque periculosis eventibus, qui communem civium in Regno malevolentiam consequi solent, exponatur. Loquitur aut scribit aliquis ad versum eos ut se suamque salutem è faucibus ipsorum eripiat, tum Crimen læsæ Majestatis, Perduellionis, Perjurii, & simile quid admitti clamatur; imò decernuntur Commissiones magnæ quibus nonnunquam boni etiam viri adhibentur, qui potestati seculari, ut vi majori cedere, contra dictamen conscientiæ, inviti organa nequitiae fieri, & jugum injustitiæ cum aliis trahere coguntur, nisi proventus tenues ab ardentis exedrae Inquisitoribus criminalibus ipsis ægre relictos, amittere velint. Et licet innocens hic sole meridiano clarius demonstret, se criminum talium auctorem non esse, quamvis ne minimum quidem vestigium eorum vel indicia reperiantur, non tamen absolvitur: & de processu tam irreligioso postea tamen dicitur. Ipse Rex fecit; hæc non Ministrorum & Commissariorum, sed Regis est voluntas, qui tamen eis munus illud ex conscientia administrandum

concre-

concredidit, fecitque copiam ita in eo procedendi, quemadmodum Deo & hominibus rationem se reddere aliquando posse confidunt. Sicut factum etiam est ipsius Caroli IX. Regis temporibus in Svecia, ubi ex optimatibus aliqui pariter ob læsæ Majestatis crimen accusati, Commissarii vero ut omnis species factionis cujusdam ac privati studii tolleretur, sacramento quo Regi obstricti erant, soluti, utque ad jus & justitiam attenderent, delegati fuerunt. [*Puffendorff. Continuat. Introd. sub anno 1600.*]

Neque enim negotium est ad Regem pertinens, ut ipsemet Commissionibus & judiciis intersit, sed quemadmodum istud ministris suis committere consuevit, sic ipsorum est id curare, & actorum suorum reddere rationem. Tametsi postmodum, ad approbandas & confirmandas artes suas Regem adduxerunt, in oculis tamen bonorum non videtur secus, quam Relationes fuisse falsas, Regemque perverfis repræsentationibus eo seductum esse. Proinde facti excusatio non innocenti Domino & Principi sed irreligiosis ministris incumbit. Neque præsumitur bonus Princeps data opera injuriam alicui facere, eumque opprimere velle. Apparet hinc cuivis cordato, quam perverse homines isti agant, qui Defensores quidem Majestatis beate defuncti Regis videri volunt, ipso facto autem Majestatem & existimationem ejus notorie dehonestant, nec in sepulchro ei parcunt, quando propria male facta, juri contraria pro regiis venditant, ac obtrudunt. Hoc sane optimo jure Crimen læsæ Majestatis dicitur, mereturque, ut Justus Holmiensis, quem causæ suæ Patronum elegerunt, & cujus opera ad injusti sui processus defensionem usi sunt, clientes suos emendet, ac nonnulla artis suæ compendia publicè in eos excerceat. Versent, igitur se quomodocunque

que

que velint, illud tamen certum fixumque manet, quod sicut clandestinæ ipsorum fraudes ipsos aliquando, ne tantillum quidem excusabunt in foro ejus, qui cordis interiora novit probatque, utpote in quem pseudo-arithmetice & rabulisticis artibus tragulam non injicient, sic tanto minus in judicio bonorum & dolos averfantium hominum sese defendent, qui ex iis quæ publici juris facta, conjicere sufficienter possunt, quomodo fraudes iste ac technæ cohæreant omnes. Inprimis haud difficulter intelligi potest, in eo constituisse artificia, quod impius eorum manipulus coierit, qui pium clementem & justitiæ alias deditum Regem defunctum obsedit, omnesque aditus occupavit ne protracta in apricum veritate, in postura ac doli eorum patefierent. Etenim dies ac noctes id potissimum studuere, quanam ratione justo Regi pessima incepta sua, sub specie juris & æquitatis accepta reddere queant, imo impudenter contendere audent, Jus Regium ex 1. Sam. VIII. & aliis locis (quasi illic non de abusu vel alio sensu agatur) adstrui, ac enormis excessus reductionis iniquæ ex sacris literis defendi posse, in tantum, ut pio Regi persuadere sint conati, intentionem adeo justam & legitimam esse, ut ne dispensare quidem in ea possit, sed eam simpliciter executioni dare ex officio & conscientia sit obligatus. Quicumque in hoc impiorum concilio ambulare cum eis recusavit, is à Rabbinis istis hæreticus existimandus ac ad sanguinem usque persequendus fuit. Si quis autem eorum, quibus fortuna Regis favorem & gratiam non inviderat, veram rei conditionem, ut bonum prisca fide virum decebat, ei exponere vel aliis saltem hominibus religiosis viam non occupare voluisset pius Rex vim & injustitiam tam atrocem nunquam in Regno suo sic furere ac dominari permissurus sine fuce & fallaciis fuisset.

Con-

Conjici facile potest, eos si totius rei sincera repræsentatio facta ita fuisset, non defuturos venenatam falcem suam criticam immittere, ac talem ei colorem illituros, quasi Regi pie defuncto non tanta fuisset ingenii vis ut malum à bono secernere potuerit. Verum illud solatio esse potest, homines studio partium omnes abreptos sic judicatuos, & Reges esse homines, proindeque Religiosissimos etiam prudentissimosque quosque seduci per ministros malitiosos consuevisse; Quod nonnunquam sero nimis animad-  
veterunt, videruntque in quam noxia & periculis plena devia à malevadis sint abducti: Qua de re Exempla nota-  
ta dignissima, ex historia qua Ecclesiastica, qua profana, an-  
tiqua & moderna prostant, in tanta quidem copia, ut cau-  
sa non sit, cur quis prædicta referri audiens mirari aut ex-  
candescere velit.

§. XXVI.

Calumniantur porrò in libello famoso *Responsa, ad Rela-* Nihil de est  
*tiones mendaces & ad acta prorsus imperfecta, non habita cogniti-* Actis, ex  
*one eorum qua in confessu judiciali & coram protocollis publicis gesta quibus re-*  
*fuerunt, esse data.* Quod ergò antè ad locum de falsitate re- responsa da-  
lationum responsum fuit, id hic quam amplissimè & solen- ta.  
tissimè repetitur, quo ipso calumniatores & falsidici nostri,  
contenti erunt. Quod acta judicialia attinet cuius bono  
viro sincera Domini Consilarii intentio & quod subdolè  
noluerit agere ex inde constat, quod contentus non fuerit  
pro consuetudine communi *Responsa* sola cum specie fa-  
cti publicare. Quemadmodum enim à principio facile  
prævidit, quod adversariis suis, si sola *Responsa* excuderen-  
tur, occasio opportuna esset emerfura, facti seriem pro fal-  
sa ac manca diffamandi, eoque ipso *Responsorum* pretio ali-  
quid detrahendi, quoniam vulgo de *Responsis* *Jctorum* di-  
H citur:

citur: *Qualis confessio, talis absolutio*: Sic huic ut prævenia malo, Dominus Consiliarius Acta simul excudi voluit, ut quilibet videat, quo Responsa nitantur fundamento, adversariis vero subministratur occasio, si quid proferre, quod ad rem facit, velint, Acta supplendi. Si ergo quicquam eis ad manus esset, quod aliam rei faciem induere valeret certè vix cunctarentur modo tam legali processum suum irreligiosum justificare. Imo hoc ipsum Dominum Consiliarium omni commodo & fructu quem ex Manifesti publicatione speravit, privaret adversariis vero plus ferret emolumenti, quam omnes ipsorum futiles; meris injuriis, & & expressionibus, vili plebeculæ potius quam viris convenientibus, repletæ chartæ, de quibus vere dici potest, eas non adeo in Domini Consilarii, sed proprium ipsorum dedecus indelebile, prælo commissas esse. Convitiari certe, ignominiiis & calumniis aliquem proscindere nequaquam sunt argumenta, quibus res aliqua defenditur: cæteroquin cuivis furi medium supperet certissimum laqueo & furcâ se liberandi: boni eo ipso non placantur, sed vehementer potius offenduntur, qui à viris gravibus, quorum aliqui, Regios se Consiliarios & Ministros in summo dignitatis ac honorum gradu constitutos, tot ampullis, & sesquipedalibus verbis, in superlativo gradu, nuncupant, ponderosas rationes ac in justificatione sua eum scribendi modum expectant, quem & scribentium dignitas & argumenti gravitas exigit. Eo autem, quem ipsi observant scurrili, modo, adduci quis ad cogitandum posset, jurgium alicui intercessisse cum vetulis ac prostibulis, Holmiæ in ponte navali confidentibus, ob singularem conviciandi calumniandique artem notulitatis quod schedæ hæctenus publici juris factæ scommatibus tantum, non autem vel unica ratione idoneâ,

neâ,

neâ, refertæ sint; Hinc nomine Ill. Patkulii Calumniatores provocantur, probent quidquam ad Acta supplenda posse adferre, quod causæ principali momentum quoddam addere valeret. Instituit quidem Dominus Consiliarius tum colloquia quædam intercalaria coram commissione magna cum Actoribus Regiis; at abstinuit, quantum fieri potuit, materialia causæ ibi tractare, quod fidem Protocolli haberet suspectam, idque, non sine causa, de quo mox pluribus. Contigit quidem super Articulo de *Residentia*, postquam à Domino Governatore Scopio facta in præ iudicium veritatis Relatio fuisset dolose emendicata, commercium quoddam literarum, item de Relationis exhibitione; id veró, tametsi tandem originale Relationis in potestatem ipsorum devenit, causæ principali, ut dictum, aliam faciem non inducet: idque tanto magis, quod in Responso Germanico, quæstione 3. & in Latino quæstione. 2. merita Relationis, an videlicet in his omnibus, quæ Actores Regii ipsi exinde ut crimina excerpserunt, ac vix jota, ex quo vel speciem criminis dicere potuissent, præterierunt, hujus rei quid reperiri queat; sollicitè examinata decisaque fuerunt. Nec alio fine quæstio hæc: *An ex actis pateat vel colligi queat, inveniri quædam ibi delicta ejusmodi, in quibus Crimen læsæ Majestatis &c. consistat?* Dominis Respondentibus ex composito proposita fuit, ut Casus, si scilicet crassi errores, quos Commissarii in forma & circa ingressum Processus commiserant, vel exceptio ob Instrumentum mutilum & mancum sublit. 6. Ad libellum non attenderetur, etiam in ipsis materialibus decideretur. Etenim quæstio principalis non fuit: *An Relatio tum à Deputatis Equestris Ordinis exhibita fuerit, & an id crimen sit;* sed in eo cardo & essentialis processus constitit: *An in Capitibus Relationis, quam acto-*

res pro criminali habuerunt, revera tale quid contineatur, quod ut crimen læsæ Majestatis, perduellionis, Perjurii, seditionis, &c. secundum jura censeretur? Atque ad hoc quæsitum in Responsis solide responsum fuit. Hæc igitur circumstantia adversariis parvo vel nulli prorsus erit usui, quin imo risui eos potius exponet, si urgere eam velint. Quam ob causam consultius etiam putarunt, silentio eam premere, ac tantum in generalibus, quædam deblaterare, ne tacuisse viderentur. Interea hic semel adhuc peremptorie provocantur, ut ea, quæ intercalariter acta esse ajunt, edere velint. Ac si omnia ipsis non sunt in promptu, porrigentur, ipsis manus, atque ex ipsis etiam subministratis eo magis, damnose & inique eos egisse convincentur. Qui modum procedendi in judicio non ignorat, facile capiet, quod, si in colloquiis illis intercalaribus, & quoad tempus adhuc, Actis formandis, dabatur, quod ad eorum subscriptionem usque durabat, quid principale ad accusationis probationem faciens, excidisset, id certo, si non in Replica, minimum perscriptum post conclusionem, deducendo, allatum fuisset; siquidem egregii illi viri, qui Directores duarum statuarum, gesticulatoriarum, velut actores & Comici Regii in Commissione magna miro artificio sese moventium, toto illo erant tempore, ac machinæ huic scelestæ motus omnes addebant, sufficienter prodiderunt, malle se fabulas, & mendacia ad impium suum scopum collineantia, fingere, quam facta vera ad sui præsidium producere. Præsertim data occasione tam commodâ, quâ pro sua petulantia, quidvis perpetrandi copiam habuerunt, eoque tempore nec Deum nec homines bonos in aliis rebus veriti sunt: sat quoque temporis & vocationis reliquum eis fuit, ad falsas merces suas venum exponendas. Dominus Consiliarius

D 3

enim



enim non ante intuito se collocavit, quam re conclusa, Actis subscriptis & cum sufficienter secundum omnes circumstantias exploratum haberet, qua ratione materialia ad structuram iniquæ sententiæ disposita & jam dum compacta essent; - - - Nisi forte in Criminalibus, etiam, post conclusam causam, reo legitimè absentè, hijudices soli ex propria autoritate, nonnulla capita nunquam recognita vel ventilata, inferuerunt, adeoque, vicissim artificii sui pessimi specimen quoddam exhibuerunt. Cujus Exemplum illustre, ad immortalem eorum gloriam in Responso Germanico §. 44i & quidem quam insigne crimen falsi hi falsarii in protocollo suo commiserint, notatum est, omnibusque bonis & religiosis ad expendendum hic denuo commendatur. Ne igitur dentes nimium acuant & suppletionem Actorum tantopere exaggerent: quippe si alias bonos sese viros præstare, omnia sine dissimulatione producere, ac nihil fraudulentè occultare velint, prodibit in lucem & conspectum honestorum hominum *Memoriale*, quod Consilarii Provinciales, ut Conreituræ temporis, his artificibus, ipsi exhibuerunt & in eo falsum commissum eis ob oculos posuerunt tam apertè & distinctè, quam difficilioribus & angustiis temporibus illis facere sunt ausi.

§. XXVII.

Gloriantur quidem in scripto suo famoso, *post sufficiens Commissa- causa examen, prævia deliberatione matura, Processum ordine & rii Svecici rite institutum ac officio denique & conscientia decretum Com- neque se- missionis latum publicatumque esse.* Verum enim vero, qui <sup>cundum</sup> totum processus cursum perfunctorie saltem expendit, nec <sup>conscienti-</sup> ignorat, quomodo judici sincero in causis arduis proceden- <sup>am, neq;</sup> dum sit: is mirabitur, in hac Septentrionis parte adhuc tam <sup>secundum</sup> crassas ignorantia tenebras regnare, nec tum ingenii & in- <sup>acta & pro-</sup> <sup>bata judi-</sup> telli- <sup>carunt,</sup>

telligentiæ lucem ortam esse, verum Gothos Vandalosque, quod ad scientiam & processum juris attinet, barbariem nondum exuisse, dum inter eos reperiuntur, qui Processum hunc pro legali & recto venditare audent; Quam pessimè enim in forma is claudicet, in Responsis, quæst. I. demonstratum. Sanè præpostere nimis proceditur, quando directæ litis contestatione, item sententia, interlocutoria non prævia, maximè in causa criminali accusatoria ad definitivam properatur, ut Asinus ad præsepe currit. Siquis, rebus sic stantibus, fabros decreti à scelerato partium studio liberare vellet, oleum tamen & operam perderet, bonisque viris illis opinionem hanc, quod ut rudes ac inepti homines egerint, eximere frustra conaretur. Si ergo istud decretum, totumque systema Processus, maturæ considerationis Dominorum Commissariorum, partus sunt, certe nunquam videre quis optaverit, quam foetum monstrifica hæc hominum ingenia sint edituri, si in re quadam, matura longaque deliberatione non prævia, ex arena, quod aliquando in iudicio usu venit, consilium caperent. Nihilominus si in eo, quo tum fuerunt, situ spectentur, industrii etiam ac operose deliberantes fuisse videntur: non quidem ad jus inquirendum, quippe quod in hac causa investigare reddereque nunquam voluere, sed, cum acta ubique eis contradixerint, & in singulis lineis vel rationibus sui decreti, crassa ipsis mendacia & calumnias quasi objectaverint, utique, laboriosa ipsis deliberatione constitit, aliquos invenire prætextus, ne fama ac honor eorum, palam, etiam coram imperita multitudine prostitueretur. Verum non successit res ex sententia, dum proh dolor! eo progressi sunt, ut vel rudissimus quisque, mediocri sanæ rationis

nis

nis usu gaudens, detecturus sit, posse gallinas has prudentes etiam in urticas ova ponere.

Quod insuper ad sui Justificationem *de jure jurando* & *conscientia* religiosis verbis usi, proloquuntur eademque in Processu se observasse, tam audacter asserere non verentur, id eo majori ipsis cedit dedecori, Jus jurandum & conscientiam in administratione justitiæ observare, idem est, ac id ipsum agere, quod Deus omnipotens in verbo suo cunctis curatoribus justitiæ injunxit, secus si fecerint, severam justamque ejus vindictam expectaturi. Proinde ista judicum declaratio, quam in conspectu Dei & hominum bonorum faciunt, eam habet vim & significationem, quod pœnam Dei in se decernant, nisi legitime & sincere, proptima sua notitia & recta conscientia, sine simultate, hominum timore, personarum respectu, aut alio quodam vitio sine, sententiam pronunciaverint. Diligenter autem expendant, quid hoc sibi velit. Homines circumvenire hætenus intenderunt ac feliciter potuere, at Deum, qui processum ipsorum novit, ac intima cordis cogitationumque penetrat, decipere eique fallaciis ac doctis dolis glaucoma objicere nequeunt. Qua fuerint mente, ex iis quæ exposita sunt clarè distinctique colligi potest: ac patet exinde etiam, illo tempore ipsos de nulla re minus, quam de Justa Dei ultione cogitasse. Quamobrem caveant sibi ne hæc contestatio, se ex conscientia religione juris jurandico istricta judicavisse, ipsis in anathema Judæorum convertatur, qui pariter in impio Confessu [Marc. XV, 1.] sententiam de Crimine læsæ Maj. [Marc. XV, v. 26. Luc. XXIII, 2.] tulerunt, ac postea, cum & ipsis stringentes sententiæ rationes deessent, quibus iniquum suum processum justificare provocabantur & in populum exclamabant: *Sanguis*  
*ejus*

*ejus super nos & liberos nostros veniat.* Merces autem iniquæ exsecrationis quam æque salva conscientia pronunciarunt, atque isti Commissarii Svecici, hæc fuit, quod unà cum tota posteritate sua in hunc usque diem in vivum exemplum gravissimorum DEI judiciorum, infervire aliis cogantur. Si ergo corda eorum, qui ex hoc in Dei & hominum oculis injusto processu participant, adeo sunt obdurata, ut modo, adhuc integris, ad evitandam infamiam publicam errorem suum agnoscere faterique recusent, vel serio in timore Domini non expendant quid egerint, veraque id pœnitentia in Deum non eluant; quivis sincerus Christianus Deum oret, ut gratiam ipsis largiatur, ut in hora vitæ novissima id considerent, ne coram tribunali Dei, ubi vicissim judicandi erunt, peccatorum in vita non impetrata remissione comparere necesse habeant. Hoc ii, qui per iniquum hunc processum pressi sunt, ut pios Christianos decet, dubio procul à Deo exorabunt injuriam sibi illatam inimicis ex corde condonantes.

§. XXVIII.

*Nibil scriptum quod honorem Consiliariis Regiis debitum, laudat.*

Allegatum denique ab eis fuit, velut peculiare gravamen, in *Deductione & Responsis honorem Consiliariis Regis ac præcipuis Ministris Svecicis debitum non leviter imminutum esse, quod ex iis maximam partem magna cõmissio constiterit: adeoq; eos meritò tanquam viros honoratos & solide doctos in oculis ferendos colendosq; fuisse.* Verum quidem est, ubi vis locorum præstantes Consiliarios Regios & Ministros, quibuscunque etiam Principibus addictos, omni honoris cultu prosequendos esse, idque tum Principis, cujus sunt, tum dignitatum & munerum, quæ administrant, causa: sunt enim qui in Regnis & civitatibus bene constitutis pro columnis & fulcris communis salutis habentur, qui cum

prin-

Principe onus regiminis partiuntur, ac partem Reip. sibi concreditam administrant. Proinde sicut ex honore, si populus sub eorum ministerio & saluberrimis consiliis floreat ac felix sit, participant: sic, si minus felix ille sit, rationem ejus rei reddere tenentur. Ideo autem in primis honore quo vis vel maxime digni sunt, quod invigilent administrationi sanctæ justitiæ. Verum enim vero, sunt tamen & ipsi in eadem Civitate subditi æquè ut reliqui, ut pote qui per solam Existimationem *Intensivam*, uti in scholis loquuntur, ab aliis Civibus differunt; ratione Existimationis verò naturalis, ne pilo quidem meliores sunt. Quando itaque in officii sui administratione limites transiliunt, potestate & auctoritate, quam è speciali gratia Imperantis præ cæteris civibus consequuti fuerunt, abutuntur: cum ignorantia malitiam conjungunt, eoq; ipso pravis affectibus ad civium oppressionem fræna laxant: omni protectione legum quam divinarum quam humanarum uti dictum, excidunt, simul, omnem existimationem functioni ipsorum excelsæ alias debitam, amittunt; Infamiâ juris immediate notantur, pro sceleratis nebulonibus reputantur, magis adhuc exosis, quam publici fures, homicidæ atq; latrones, à quibus longè facilius sibi quis cavere ac res suas in tuto collocare potest, quam à potentibus in regimine, munus suum injustè administrantibus. Proinde quando Ministri primarii, quos Pastores populi esse conveniebat, ad gemitus populi præpotentia præfectorum oppressi obsurdescunt, idq; agunt ut *Jus (per anagr.) Vis*, fiat aperta, ac mercedem insuper, quasi re bene gesta, expectant, idem est, ac si pastorum canes, postquam cum lupis uniti agnos devorarunt, blanditias heri expetunt. Neq; enim res tanti negotii, adeoq; difficilis est, uti vulgo creditur, reprehensiones ac

I

male-

maledicta multitudinis in publico Magistratus officio evitare. Æquanimus modo sit Minister commoda regni curet, ac suum cuiq; tribuat: Sic tam de gratia & tutela Dei ac Principis quam de existimatione multitudinis bonaqve fama securus, causam suam sub clypeo benè gesti muneris ubivis terrarum agere, ac in conscientia rectè factorum conquiescere potest. Quod si vero præter officium agens pœnas luit, sibi imputet, neq; enim aliquo jure petere potest, ut homo omni laude indignus laudetur, vel præmio afficiatur.

Cœterum repetendum hic esse existimo, §. 22. *Deductio* injecta protestatione, jam monitum; Sermonem sc. non esse de omnibus Coronæ Suevicæ Ministris ac Consiliariis, neque etiam de omnibus iis qui magnæ Commissionis confessui interfuerunt; verum de iis qui pro sententia iniqua ferenda & ore & corde suffragium tulerunt. Hinc *Deductio* illa & *Responso* non tam personas, verum iniquum procedendi modum convellunt & castigant, non alium in finem quam ut innocentia per legitimos tramites defensa omnium oculis subjiciatur.

Quod si vero inter Ministros Regios aliqui, conscientia œstro perciti, hæc omnia in se dicta esse putent, eorum & ipsius regni vices eo magis deplorandæ; regnum vero ipsum tanquam corpus Cacochymicum censendum esset, cujus tota massa, quæ rectum motum dare debet, corrupta, adeo ut ex Symptomatibus tam funestis nihil nisi corrupta forma reipublicæ vacillantis maleq; affectæ conjici possit. Ubi enim proceres regni sunt maligni, improbi ac corrupti, ibi pietas & justitia exulat veraq; virtus.

*Res rara est alboq; simillima corvo. Semot a justitia quid vero sunt regna? magna Latrocinia,* inquit Augustinus, è quibus,

bus, Deo justo iudice ita permittente, si non excidium totius reipublicæ, saltem detrimento plurimum consequi solet. *Neq̄*, enim, inquit. Eritius Cord. *lib. VI. Epigr.* durable, quod firmant mendacia, Regnum est: Fictæq; fabulæ ruunt.

§. XXIX.

Cæterum, quod Ill. Patkulius contra Regiam Suam Majestatem Sueciæ, ab eo tempore, quo extorris fuit, hostes excitaverit, eosque ope & consilio juverit in Majestatis suæ regionibus ac provinciis invadendis devastandisq;, perpetua est Suecorum cantile-  
 chorda oberrantes, eum primum esse Auctorem & incen-  
 torem belli Livonici. Quæ infimulatio, quamvis vera foret, honori ejus nihil detraheret. Gloriosum quippe videtur, occasionem præclaram arripere, injuriam ab hostibus sibi illatam publice ac modo, aliquo illustriori vindicandi. Si enim sæpius similia exempla statuerentur, inimici justitia non tam facile procederent ad impetus illos furentes ac violentes quibus probos viros opprimere student, justamqve adeo causam iis suppeditarent de vindicta cogitandi. Solet aliquando omnipotens ac supremus regnorum arbiter ad vindicandum injustitiam quæ in regno passim grassatur, revolutiones ac res novas permittere, quæ Principem regionibus ac populis suis privare possunt. Proinde haud facile quis errabit, qui causam hujus belli & quæ inde lerna malorum secuta est, non tam hominibus quam justo iudicio Dei attribuere velit, ac sibi persuadere, gemitus ac lachrimas orphanorum, viduarum aliorumque miserabilium quos *Reductionis Liquidationis* ac similia flagella inopes atque extorres fecere, in cælum usque penetrasse, neque potuisse Deum his violentiis diutius indulgere,

Quomodo  
 in bello Li-  
 vonico se-  
 gesserit &  
 quam ope-  
 ram loca-  
 rit?

verum iustas tandem poenas, quas passim in sacris literis iniquis Judicibus minatus est, infligere hic voluisse. Ill. Patkulus, noster hanc gloriam sibi attribuere, quod alius per jactantiam facile fecisset, noluit pernegatq; , quod privatae vindictae causa ad Livoniam recuperandam Polonorum Regi primus Autor fuerit. Fusius mentem suam hac de re in *deductione* impressa libere explicatam vides. Quin imo, si opus foret eorum nomina effari possemus, qui diu ante adventum Ill. Patkulii in Polonia consilia & cogitationes suas cum Rege Pol. communicarunt, & qua ratione negotium perfici posset, senatim, secundum omnes circumstantias explicarunt. Silentio praetereo summos Principes quosdam inter se de hoc negotio, eo tempore quo Exc. Patkulus magno locorum intervallo ab iis distans ac de facie ignotus fuit, tractasse. Quod vero postea, uti fidelis Minister clementissimi Regis sui, & ex amore in patriam, pro officio ac debuit, eam ab acerbissimo servitutis jugo liberandi, ac per tractatus, provisionales salutem ejus procurandi singularem curam, habuerit, ac non calamo tantum sed etiam stricto gladio rem gesserit. Fecit in eo, quod bonum civem decet, nullo quidem jure vel officio prohibente, quoniam nullo amplius vinculo subjectionis alioq; Coronae Suevicæ addictus fuit. Qui secus judicant, vel ignorantiam vel malitiam produnt. Quare, si quod ubivis venditatur, tantum Coronae Suevicæ detrimentum fuit, quod Illustr. Patkulus in hostium castra transierit neque sacra Regia Majestas Suevicæ, nec, ullus alius, qui iusta ratione nititur, culpam hujus rei ei imputare poterunt. In *Deductione* pluribus demonstravit, Suecos nunquam intermisisse, illi etiam exuli insidias struere, rejectisque omnibus precibus & intercessionibus, Sacrae Regiae Majestati in praesens  
Suevicæ



Sueciæ gloriosissime imperanti factis illum eo adigere ut eam sibi sedem quæreret, qua contra insidias, technasque inimicorum, asyli loco esse possit. Ipsa enim natura homini injungit, vitam & securitatem etiam cum pernitie ac internecone adversarii tueri, adeo ut in eo quoque casu, quo quis inculpatam sui tutelam adhibere debet, aggrediens ineptum se ad recipienda ab aggresso officia pacis reddat. Qui enim contra omnem & æqvitatem insontem invadit, omnia remedia ad expediendam quoquo modo ac illimitatam potestatem propriam, salutem ex tanto discrimine concedit præter jus Lacesito. [*Pufend. de J. N. G. Lib. II. Cap. v. §. 1, 2. 3. Grot. Lib. II. cap. 11. Ziegl. ad dict. loc.*]

Hæc cum ita sint Regia Majestas Sveciæ, si ob damnum, bello hoc illatum in judicium aliquem vocare velit. Illi in primis conveniendi essent, qui Ill. Patkulium invitum ad hæc extrema adegerunt. Tenetur enim quilibet damnum refundere, non tantum quod directe & immediate intulit, sed cui per consilia fraudulenta, vel aliud factum illicitum causam dedit. Optandum foret, si S. Regia Majestas Sveciæ ad facti seriem & veritatem cognoscendam acta judicialia, non tam uni alteri maligno Ministro, qui processui consilio vel autoritate præfuit sed exteris collegiis Juridicis a studio partium alienis revidenda ac dijudicanda committere vellet. Sic demum intelligere posset, quam perperam, & inique hæc causa tractata fuerit. Sic rem faceret æterna laude dignam, si in hos iniquos Judices eam pœnam statuere vellet, qua Cambyfes Persiæ Monarcha injuste judicantem Prætorem affligi jussit. [*Herodot. lib. V. C. XXV. Val. Max. lib. VI. C. 6.*] Quod vero ajunt, Exc. Patkulium omnibus viribus allaborasse, ut Regiæ Majestatis Svecicæ terræ ac provinciæ devastarentur, operæ pretium esse duxi,

sub finem hujus scripti literas quasdam publicas securitatis, Livonis concessas sub lit. A. B. c. annectere, quas ipse scripsit ac typis excudi jusfit, eo tempore, quo Regi Polonorum in expeditione adfuit ac omnium consiliorum tam Status quam Belli particeps ac administer fuit. Patet exinde eum in id potius allaborasse ut non tantum comercia cum exteris more solito colerentur, verum & incolarum hujus provinciæ bonis ac fortunis parceretur, qui tanta inclementia à Svecis tractantur, uti nunquam a milite Polonico factum, utpote quem severa admodum disciplina militaris, qualem alibi vix reperies, in officio continuit. Neque hic silentio prætereundum esse existimo, quod cum exercitus Polonicus in eo esset, ut in urbem Rigensem obsidione cinctam ignibus missilibus ac tormentis bellicis impetus faceret, jamque jacere incepisset, Exc. Patkulius, interpositis precibus, suis & aliorum, vanis que persuasionibus & argumentis à proprio commodo ac gloria ipsius Regiæ Majestatis Polonicæ petitis, tempestatem hanc avertit. Patet quoque ex hic sub lit. D. E. & F. annexis instructionibus, aliis que præscriptis rerum agendarum, pro Ministris ac oratoribus à Rege Poloniæ ad Russorum Imperatorem misfis, Excellent. Patkulium nulla in iis omis esse argumenta quæ movere potuerint Czaream Majestatem, ne militi suo permetteret, terram hanc, more hæctenus apud Christianos, ubi necessitas & ratio belli non exigit, inusitato devastare, vel incolas ejus inermes, quibus ex Jure Gentium vis hostilis inferri non deberet, crudeliter habere, aut captivos abducere. Quod vero effectum in omnibus non fuerit sortita benigna, Moderata hæc ac humana cura ac providentia, laude omnino dignissima omnes improbamus, ac ægre ferimus. Illud vero certum est, Ministrum hunc

hunc

hunc omnem operam ac diligentiam adhibuisse, ut bellum hoc leni ac moderato bellandi modo, qualis Christianos decet, geri possit. Non me nec alios viros fide dignos latet, quas preces atque intercessionem pro captivorum liberatione interposuerit, quas pecuniæ summas in hunc finem erogaverit, nihilque adeo omis erit & intentatum reliquerit, quod officium pii Christiani atque humanitas exigere videtur.

Verum quod hic brevibus monendum esse censeo, facile hujus belli Calamitates averti potuissent, nisi a parte Regis Sveciæ Variorum Principum officia pro mediatione oblata, vano quodam supercilio rejecta fuissent; nulla plane ratione habita, propensæ ad pacem faciendam voluntatis, quam serenissimus Poloniarum Rex a die XXV. Septembris anni 1700. non una occasione aut vice declaravit.

§. XXX.

Quod vero spectat ad Nobilitatis Livonicæ, ac S. P. Q. *Examina-*  
 Rigenis declarationem de qua in infami libello tantus ser-  
 mo, nosse oportet, illam ex eodem, quo processus magnæ *ratio facta*  
 Commissionis supra explicatus, fonte manare: Idem qui *ab Ordine*  
 magnæ illi comisioni præfuit *Ericus Dahlbergius*, præses pro-  
 vinciæ Livonicæ, in comitiis eo tempore celebratis no-  
 vum malevolentia suæ in Ill. Patkulium specimen edidit, ut *S. P. Q. Ri-*  
 spontaneæ nobilitatis declaratione ad falsa ejus narrata fa-  
 ctæ acquiescere noluerit, sed concepta ac solennia Verba  
 formulamque declarationis illius, multis atrocibus injuriis  
 ac calumniis infertis, præscripserit, minisque adhibitis, pro-  
 vincia statibus extorserit. Audiverunt hoc exteri, Rigæ  
 eo tempore morantes; obstupuerunt, steteruntque comæ  
 ad tantam violentiam liberis hominibus illatam. Inter alia  
 scripta *in spolio Livonia* reperta exemplum quoque fuit pro-  
 tocolli

tocolli in conventu illo Provinciali Scripti, ex quo apparet, Dahlbergium, uti in magna commissione pessimi judicis, sic in comitiis istis partes mendacis atque improbi calumniatoris strenue implevisse, ac status qui initio libidini ejus obsecundare detrectabant, nec dicto nefario audientes esse volebant, tam per rescripta, quam coram in congressibus ad imperata facienda coegisse, occlusis portis, allisque vexationibus, minisque adhibitis; Sed quid? Admiratione digna est constantia horum Virorum, qui inter malleum & incudem constituti, huic Pontio Pilato tam diu obloqui ac resistere non dubitarunt. Eousque enim dominandi libido ac impotentia animi Regulorum ac Despotarium hujus Provinciae crevit, ut si miseris statibus confessionem fidei Mahumedanae praescribere vellent, paucos refragantes haberent. Nihil enim misellis amplius reliquum est, quam Simulacrum libertatis ac nudum nomen comitiorum, in quibus a tot seculis liberrima voce usi sunt, quae jam contra morem gentium in urbe occlusa ac munita celebrantur. Sic amisso libertatis Palladio obsequii gloria tantum ipsis relicta est. Conjicere indelicet, quam libera sint comitiorum horum Vota, praedictam vero declarationem non esse habendam, ac si nobilitas & S. P. Q. Rigensis eam fecisset, sed partum esse impii seniculi, Praesidis Illius Dahlbergii, cui jure retorsionis injuriosa ac virulenta, Verba ibi expressa cum foenore in barbam ejus hircinam retorquemus; Sciat praeterea Vitiligator iste, ex Genealogia ejus nobis non esse ignotum, rustica ac inficeta progenie eum natum esse. Quemadmodum vero imbelles columbae aquilas feroces non progenerant, sic ex rustica stirpe progeniti generosum ac nobilem animum gerere ac genus suum ementiri vix possunt. Qui modum vivendi Erici hujus ex

valle

valle vel monte agresti nati, examinat, quilibet, qui ortum eius etiam ignorat, facile videt, cujus patris filius sit, eumque aratro potius, ac raistro aptum esse, quam provinciæ administrandæ. Neq; enim unquam magis, quam hac occasione, ingenium immoderatum ac rude prodidit, illudque Claudiani exemplo suo confirmavit:

*Asperius nihil est homini, cum surgit in altum.*

Expertæ hoc sunt in Suecia tot illustres & antiquæ familiæ, ex quibus plurimi studiis, laboribus, Virtutibus bellicis & togatis Reges Sueciæ ad fastigium, in quo sunt, gloriæ ac potentiæ evexerunt, ac quibus nulla alia gratia repensa fuit, quam quod à Sceleratis hominibus, e fece vulgi per artes ac dolos ad honores evectis opprimantur, ac pedibus quasi conculcentur. Idem servitutis jugum quoniam & Livonis imponere placuit, visum fuit Dahlbergii viri tam duri & inclementis quam quam callidi ac versuti opera ac ministerio præ aliis uti. Hic tanto successu hoc negotiū gefit, ut nisi hac occasione status provinciæ formulam, quam ipse præscripserat, subscripsissent, criminis læsæ Majestatis statim accusati fuissent, ad Exemplum Neronis, Domitiani aliorumque Tyrannorum, de quibus Tacitus ac Suetonius passim. Hic mos quidem in Regiis Principum nimium prohdolor! hodie invaluit, nullibi vero altiores radices egit, quam in terra ista septentrionali, Gothorum Vandalorumq; sede, de qua Nobis Sermo, adeo ut de ea fere dici possit, quod jam olim Propheta Jeremias I. Cap. v. 14. item Cap. IV. v. 6. memoriæ prodidit: *Omne malum ab Aquilone.*

§. XXXI.

Hanc Livoniæ in historiis passim claram nobilitatem Magistri ordinis, summi Pontifices & Archi Episcopi, Provincia vero hac sacro R. Imperio subjecta, Imperatores, de-

K

*Durum & iniquum Suecorum imperium niquè in Livonia.*

nique & Reges Poloniae amplissimis juribus ac privilegiis auxerunt ornaruntque, quae Livonenses, Suecici Juris facti mediantibus pactis cum Sueco initis salva ac intemperata servarunt. Neque unquam legitimam ea violandi causam Sueci habuere, ob fideles, & arte & Marte Coronae Sueciae a Livonis navatas operas, uti non tantum in initio Responsi Germanici, sed etiam in Collectaneis Livonicis passim explicatum exstat. His vero omnibus non obstantibus optimi hi ac tam benemeriti cives, uti perniciosissimi hostes patriae ac perduelles tractantur, in exiliū, publicatis bonis, pelluntur iniquissimis modis vexantur, publico quasi ludibrio ac hostili deprædationi expositi. Quae omnia propterea fiunt, ut veteres coloni ac incolae funditus extirpentur, quamvis ipsi suis sumptibus ac multo sanguine effuso hanc terram ab Ethnicis & Paganis olim acquisitam tandem in ditionem Suecicam redegerint. Ex subscriptione supra memoratae declarationis videre licet antiquas patriae à tot seculis observatas leges, imprimis quod Consiliarios provinciae attinet, [*vid. Collect. Livon Num. XXIV.*] plane abrogatas, atque adeo sub acerbissimae servitutis jugum totam gentem missam esse. Certum est, Livonos nunquam Suprematui Suecico se submississe; sed demus, factum id esse, per hoc non illimitato absoluto & iniquo imperio eos subjectos esse credas. [*Puffend. de J.N.G.L. VII.C. VI. §. 7.*] Sollemnissime enim hanc conditionem sibi stipulati ut in libero exercitio privilegiorum ac immunitatum, quibus patres uti consueverant, permanere possint.

Verum ne quid omitteretur, quod ad ærumnosos funditus extirpandos tendere potest, non satis fuit persecutoribus eorum, quod laborantes isti incolae vi hostili cæsi, devastati vel in captivitatem abducti fuerint; Verum ipsi Sueci quævis

vis

vis hostilia in hos patrant, falsum hunc prætextum can-  
 fantes, quod cum hoste conspirarint, quando ab eo literas  
 securitatis, quod apud omnes gentes usitatum, petierunt,  
 tributisq; solutis, quæ hostis indixerat, aras & focos ab in-  
 cendio & depopulatione liberarent. Facile quisque videt,  
 afflictos hos & infelices, volentes ac sponte, ultroque id non  
 fecisse, sed necessitate adactos de conservatione sui cum ho-  
 ste pacisci voluisse. Neque potest propterea Dominus ter-  
 ritorialis criminis perfidiæ aut violatæ Majestatis eos ar-  
 guere; quoniam enim ingruente calamitate bellica, ac ho-  
 ste provinciam occupante incolæ proprii Principis tutela  
 orbati in naturalem libertatem revertuntur, omnia Gen-  
 tium inprimis belli jura permittunt indefensis & vi majori  
 cedere coactis, quovis meliori modo cum hoste pacta inire  
 ad sui pernitiem fundique calamitatem avertendam. Ma-  
 jori laude digni sunt populi, qui vi hostili oppressi tempo-  
 ri quidem cedunt neque tamen Domino territoriali fidem,  
 qua obstricti, renunciant. Idem in bello hoc Livonico fa-  
 ctum; neq; enim Serenissimus Poloniarum Rex, pro eo,  
 ac præditus est, animo generoso, Livonos ad arma capien-  
 da fidemq; qua Sueco obstricti erant, temerandam excitavit,  
 sed forti, ac prout res ceciderit, eventum belli commisit.  
 Conservationem enim Provinciæ, uti ante allegata pro-  
 grammata ejus rei fidem faciunt, curæ cordique habuit,  
 Quicquid ita in aliis Regionibus tempore belli Subditis  
 licet, Livonis malitiosa Suecorum interpretatione tanquam  
 crimen capitale, vitio vertitur, pœnisque gravissimis, qua-  
 les Busiredes vix crudeliores excogitare possent, vindica-  
 tur. Vera sunt, ac passim nota, quæ narro; Neq; in casu  
 dubio versamur, quo præsumptio pro superiore militat.  
 Suecorum quippe Sævitia in populum tam notoria est, ut  
 passim

passim ejus vestigia in Regno appareant, neque in Europa, quod partim ipse vidi, partim ex aliorum relationibus fide dignis intellexi, terra aliqua sit, in qua Sveci bonis fortunisque exuti non reperiantur, qui licet natali solo victum aliaque ad vitam necessaria, qua possunt arte, unciatim, ac defraudato sæpius genio, miserellii quærere vel aliena misericordia vivere coguntur.

§. XXXII.

*Quo Jure  
Livoni ju-  
gum excu-  
tere potue-  
runt?*

Debet quidem populus leviores principis injurias, quas corrigere nefas, patienter ferre, Livonorum vero hæ ac similes miseriæ et ærumnæ tam duræ ac intolerabiles sunt, ut cum calamitate, quibus Israelitæ in Ægypto pressi comparari, ipsiusque Phalaridis, si adesset, misericordiam commovere possint; quam durum vero sit, liberis ac Generosis animis fervili conditioni non asvetis eas tacendo dissimulare, ac Asinorum instar gravissima onera quæque ferre, facile quilibet liber homo natus, ex se intelligit, neque illis vitio vertet, si libertatem etiam cum periculo vel dispendio vitæ tueri satagunt.

Capitulationes & pacta, quibus Livonia Svecici Juris facta & quæ in Collectaneis Livonicis exstant, bilateralia & ejus sunt indolis, ut contrahentes reciproce obligent [Pufend. de J. N. G. L. III. Cap. IV. §. 28. In lib. VII. C. II. §. 8. 9. 10.] adeo ut una parte ea violante, altera quoque impune ab illis discedere possit [Grot. de J. B. P. L. II. C. XV. §. 15. Id. Lib. III. C. XIX. §. 14. Pufend. J. N. G. L. V. C. X. §. IX. Cum igitur Corona Svecica promissa non implet, verum contra status Livoniæ hostiliter procedit, eisque omnem calamitatem ad extirpationem usque machinatur, eo ipso illos ab homagio sibi præstito, & omni nexu absolvit, eisque omnem libertatem, salva conscientia quocumque modo se defendendi,



di, atque violentiam & tyrannidem destruendi concedit; Propriis vero deficientibus viribus auxilium aliorum Principum Christianorum implorandi permittit. Reperti quidem sunt inter aulicos & suffrones Politicos, qui adulatorie, acceptis præmiis, tradunt, non licere civibus Tyrannorum licentiam etiam, supra fas & omne legum Imperium se efferentium, coercere, eoque ipso principium, de non resistendo Principi inculcare, voluerunt. Alii autem fanioris Philosophiæ, Doctores, eos solidissimis ex Jure naturæ petitis argumentis convicerunt, quod illud principium, libertatem se defendendi, homini jure naturali competentem ita demum refringat, quatenus nempe suprema potestatis civilis lex, salus populi, sustineri nequit. [*Instar omnium Barclajus & Hobbes eorumque affectæ vid. Puffend. de J. N. G. L. VII. C. II. §. 9.*]

Cum autem Princeps ipse his neglectis de pernicie Reipublicæ cogitat, sicque rationem & fundamentum dictæ legis ita tollit, ut per patientiam civium ad finem hanc pervenire non liceat, sed in aperto sit, ex Rege Tyrannum, ex protectore inimicum, ex tutore Carnificem factum leges fundamentales civitatis & populum ipsum extirpare, illique exitium bona eripiendo parare studet, ipsa lex deficit, Consistere enim non possunt voluntas imperandi & voluntas perdendi.

Potest itaque populus frenum excutere & vim vi pellere, cum manifeste à regulis gubernandi, abs quarum observatione tanquam à conditione cives obsequium suum suspenderunt, dolo malo disceditur; Non enim homines ad suum exitium sed conservationem sese aliis subjecerunt.

Qui procedendi modus non tantum Exemplis, quæ in Sacra Scriptura I. Reg. II. nequaquam frustra aut obiter posita,

sita, sed & profanis historiis, ubi tot illustres revolutiones, & nunc & olim factæ, probatur, atque non ita pridem edito scripto coram tribunali omnium gentium justificatus est, ut necesse non sit his diutius immorari. Sveci autem eo minus Livonos, ad quorum liberationem, si quis animum intendit, alicujus criminis accusare possunt cum ipsi Exemplum domesticum, Sigismundi ejus nominis III. ab ordinibus Sveciæ ejecti quod in casu simili ab exteris nationibus, allegari solitum, ante oculos habeant; Neque enim ipsi Sveci dicere audent, Carolum IX. in illius locum substitutum ejusque successores illius regni tantum usurpatores fuisse, aut injustos possessores. Certum hinc est, eo casu quo subditi hostiliori, ac eo tempore in Svecica factum, animo & modo tractantur, legem de non resistendo Principi deficere, eosque licitè se ab omni vi, iniquitate & injustitia defendere posse, cum præcipuè nemo injurias à Svecis illatas ulcisci, nec aliquas ditiones occupare cupiat, sed solum jure defensionis provinciam Sveciæ intervenientibus pactis solennibus concessam, fide non servata liberare & salutem totius miserrimi populi ab exitio vindicare studeant quod species emigrationis & fugæ est, ad quam faciendam unum civitatis membrum facilius quam totus cætus obstrictus esse videtur [Puffendorf. de J. N. G. lib. 7. cap. 8. §. 5.]

§. XXXIII.

Nituntur quidem Ministri Sveciæ, pravum suum, inconvenientem, atque a Jure alienum negotia tractandi modum, sententiis Politicis ad rem nostram parum tamen facientibus excusare. Ajunt in primis, cum salus populi suprema lex esse debeat, boni civis-officium esse commoda privata, ubi de Reipublicæ ac totius populi salute agitur, ultro postponere, neque voluntati summi imperantis refragari,

*Absurda  
Regnandi  
ratio Sue-  
corum in  
Livonia.*

gari, ubi, etiam cum in commodo ac damno privatorum, rempublicam salvam esse cupit. Verum, ut brevibus ad hæc quid reponamus, quis unquam Politicus docuit, salutem populi excidio omnium & singulorum individuorum & sic everfione totius populi procurandam esse?

§. XXXIV.

Ex his, quæ diximus, fatis apparet, jam dudum in Sue-  
cia quoad Livonos consilia ex Machiavello deprompta  
fuisse, ubi Principem docet, qua ratione in Provinciis novi-  
ter acquisitis supremum dominium stabilire debeat. Vel:  
enim, ait (1) ipse eam in habitet, vel: (2) ipsis Provincia-  
libus annuo tributo penso, eam certis legibus administran-  
dam committat, vel: (3) in quo Majorem securitatem si-  
tam putat, veteres emigrare faciat colonos; Hanc, quam  
ultimo dixi loco, regendi, rationem jam pridem Turcæ,  
in præfenti vero etiam Sueci elegisse videntur. Sed, quod  
pace eorum dixerim, non omnes verba præclari hujus  
Politici capiunt. Dixerunt hoc ac probarunt non pauci  
quos Doctrinæ Politicæ scientia præstare constat. [Amelot.  
dans la prefa ce sur le Prince de Machav.] Sic ex aliis ejus-  
dem Itali scriptis videre, licet [Machiav disc. in Liv. L. I.  
cap. 10. Ejusd. de Rep. Conring. in præfat. ad Mach. Prin-  
cip.] non extitisse eum Patronum sed osorem, illimitati ac  
despotici Imperii [Machiav. de Rep. Nard hist. flor. L. III.  
Albert. Gentil L. III. de legat. c. IX.] sic ultimum quem præ-  
scripsit, provincias noviter occupatas conservandi modum  
ita intellectum voluisse existimant, eum non esse adhiben-  
dum, nisi alia media moderatiora ac humana, ad securi-  
tatem Principi præstandam minus sufficient. Tam im-  
prudens, ineptus ac iniquus non fuit ille Doctor, ut contra  
propria principia, contra malum, quod imminet, violenta  
reme-

*Doctrina  
Machiaveli de  
conserva-  
tione pro-  
vincia no-  
viter ac-  
quisite ex-  
aminatur*

remedia ubi lenioribus sine periculo strepitu & tumultu idem finis obtineri potest, præscribere voluerit; quin potius hanc ejus fuisse sententiam, certum est, quod si princeps urbe, provinciave noviter acquisita, vel indicia vel certa argumenta habet, incolas, studio novitatum exitiosa machinari, neque primi ante allegati gradus principem periculo eximere, ejusque dominatum securum reddere poterunt, eo demum casu, ubi media humana non sufficiunt, violenta ad securitatem, sibi procurandam, ac tumultuantes coercendos optimo jure adhiberi posse. Quamvis præsumendum sit Principes Christianos ægre ac invitos ad ea procedere, memores ejus quod & Ethnicus monuit: Reges, in ipsos imperium est Jovis [Horat. L. III. od. I.] summumque bonum in id locaturos, non tantum ut hic in terris regna quiete possideant verum etiam de officio sibi commisso rationem DEO reddere possint. Pseudo politici vero nostri, propriis cogitationibus sese mutuo accusantibus & reclamante conscientia, cujus stimulos etiam Ethnici, qui Legem non habent nec verum Deum non agnoscunt, tanquam Legem in cordibus suis scriptam sentiunt, [Rom. II, 15.] vanam gloriam sibi ex his Principiis ab atheis inventæ politicæ quarunt, in sui ac popularium perniciem. Alii enim exteri qui tanquam in Speculum, eorum vitas inspiciunt, confirmantur in sana illa doctrina quæ tradit, justum, lenem, clementem ac mitem imperium violento ac despotico longe præferendum esse.

Quamdiu quidem Livoni privilegiis & juribus rite acquisitis, jure Regio salvo, gavisi sunt, moribus etiam ac institutis antiquis veterem suam retinere dignitatem, ne quidem de mutatione imperii cogitarunt verum, quando ab aliis fatis commoda eis oblata fuit, illam generose rejecerunt,

cerunt, uti inter alios Scriptores Svecicos, Loccenius, *hist. Svec. Lib. VIII.* testatur. Maluerunt semper Regibus Sueciæ subesse, tum ob mutua cum illis inita pacta nec tum eo tempore violata, tum propter communia sacra, & quod Svecos nosset melius aras & focos suos defendere posse. Hæc tam fortia vincula etiam pessimo Principi sufficere eumque de pacata provinciæ noviter acquisitæ possessione, etsi nulla vi uteretur, securum reddere poterant. Ingruente bello & quando vel Hannibal ad portas aut Regnum invasit, tum demum recte cognosci solet qua mente cives in Principem ferantur, ac utrum inter illos aliqui sint, qui res novas cupiunt. Livoni vero, quoties cum vicinis bellum fuit, tam sedulam ac fidam eis semper navarunt operam, ut ex nobilioribus familiis vix unam reperies, quæ non plures numerare possit, qui strenuè ac fortiter pugnando, fuso etiam sanguine, gloriam Sueciæ, qua passim jam inclaruit, non amplificarint.

Denique si quis præcepta Machiavelli quoad verba potius, prout sonare videntur, quam secundum mentem scribentis sequi voluerit qua quæso ratione Principem, quem quis hac cruda doctrina imbuit, securum reddere potest, cives servitutis jugum semper æquo animo laturos. Neque enim Machiavellus ipse usquam improbat, posse cives eo casu vim vi repellere. Qui enim Principum tollit officium erga subditos, hos quoque à reciproca obligatione, qua Principi tenentur, ex natura reatorum exsolvit.

Sic satis evictum esse credimus, Svecos illos qui res Livonorum perperam tractarunt, præter omne jus, divinum, naturale & gentium, in primis contra prudentiam politicam etiam ipsius Machiavelli, præcepta egisse, nec quidquam allegare posse, quod facta eorum excuset, impediaturque,

L

que,

que, quominus viri veram nec simulatam scientiam politicam profitentes & à studio partium alieni judicent, optimo jure Svecos hac provincia excidisse.

§. XXXV.

Cuiliber  
jus est de  
liberandis  
Livonis  
scilicet  
scipere.

Quæ cum ita sint, Livonosque jugum servitutis Svecicæ excutere posse, extra omnem dubitationis aleam positum sit, supervacaneum erit inquirere: *An Nobilitas Livonica Domino de patkul potestatem ac mandatum cum libertate dederit necne, pro liberandis Livonis in Polonia tractandi?* Defectus enim sive vitium mandati non irritum reddet, quidquid per implorationem opis Regis Poloniæ, si facta esset, gestum. Quia etiam exterus quisque tanquam negotiorum gestor ex voluntate præsumta, quæ satis, rebus sic se habentibus, fundata est, multo magis Ill. D. de Patkul tanquam membrum equestris ordinis, utpote quem manus ac beneficentia divina non sine causa ex faucibus inimicorum ereptum glorioso huic negotio destinasse videtur, pro patria illud gerere potuit. Proinde si quid in causa tam justa vel mandataria vel negotiorum gestoris nomine in Polonia vel alibi monstravit vel gessit, optimo jure id factum esse liquet, ut necesse non habeat, quoad passum Legitimationis se justificare ac cum Suecis desuper altercari. Ad propositionem vero Erici Dalbergii Ordini Equestri, senatui Populoque Rigensi factam illud regeffisse sufficiat, hanc rem ratione mandati in potissimis circumstantiis falso ac perperam illis expositam esse.

§. XXXVI.

Inprimis  
Polonis.

Etsi vero Magnificus Dominus Patkul vel alius hac de re in Polonia nullam mentionem iniecisset, tamen jus liquidum fuit Regi ac Reip. Poloniæ negotium hoc suscipere, inprimis ob violatam à Svecis Pacem Olivensem ac vilipendium

dium

dium expromissionis sive gvarantiæ, uti per *Justas Vindicias* (scriptum nomine Regis Poloniæ publicatum) ad Articul II. Pac. Olivensis fusius explicatum existat. Resp. enim sive Corona Poloniæ Livoniam non aliter quam sub conditione, ut privilegia bona ac jura Livonorum facta, recta integraque manerent, cessit, sic per hunc pacis tractatum præ aliis Potentiis, speciali vinculo adstricta ad eam miseris suis liberandam, & ad gremium Reip. reducendam. Jus enim Svecis in Livonia cessum perfidia sua, non servando, ea quæ stipulata ac promissa sunt, evanuit; Sic ipso jure & facto coram Deo & hominibus provinciæ hac potestate & dominio Sveciæ soluto, Jus Polonorum in illam, per pacta cum Statibus Livoniæ Anno 1561. fundatum & deinceps pace Olivensi Art. 18. Svecis cessum revixit, & antiquum obtinet. Confessi enim juris est, omnibus pactis & obligationibus reciprocis hanc tacitam inesse clausulam: *Servato si servaveris.* [tot. tit. ff. & Cod. de condict. caus. data causa non secut l. si convenerit. ff. pro socio.] Insuper Poloni etiam in foro conscientiæ tenentur Livonis afflictis opem ferre. Obligatio hæc orta ex jurejurando quod Rex Poloniæ gloriosissimus Sigismundus Augustus pro se & successoribus regni de liberandis ab oppressione Livonis præstitit, cui nihil quidquam derogarunt Pacta Olivensia, ut pote quæ volunt, ne bellum quod eo tempore gerebatur, & quæ inde secuta est mutatio imperii Livonici, ejusdemque in Sveciam translatio, juribus privilegiis atque immunitatibus hujus nationis fraudi ac detrimento esset. Ita jurata obligatione hac Polonorum perpetuata, vitio illis semper verti posset, si inertes ac otiosi spectatores manere vellent, ubi omnia hæc concordata à Svecis proprio arbitratu convelluntur ac labefiunt.

L 2

§. XXXVII.

## §. XXXVII.

*Etiam aliis  
Principibus.*

Non debent itaque, tanquam insolens aliquid mirari Sueci, quando guarantia & auxilium Coronæ Polonicæ, five oppressorum nomine vel alio quocunq; modo reclamantur. Quippe quilibet Princeps Christianus ex dictamine Juris Naturæ & Gentium potest, imò debet, iis qui notoria tyrannide premuntur, opem ferre, usque adeò, ut bellum pro amicis eo nomine susceptum justum reputetur. [*Grot. D. J. B. P. L. II. CXXV. §. 8. Pufend. D. G. N. J. L. VIII. C. VII. §. 14.*] Quare si Poloni per artes & suggestiones eorum qui de Salute & gloria patriæ minus solliciti sunt, & ad cantus Syrenum Suecicorum officium hoc & propria commoda negligerent, nemini absolum videri debet, si alii Principes, interque eos præcipuè Rufforum Imperator, negotii hujus curam in se suscipiunt, in primis quoniam Czareæ Suæ Majestati, præter jus & Ingria & Carelia à Suecis sunt ereptæ. Quare inter causas belli quod Suecis intulit, in programme sub *Lit. G.* etiam hanc retulit, quod afflictis Livonis opem ferre sui officii divina quasi vocatione sibi impositi esse crediderit, præcipuè quoniam Poloni quibus de officio sufficienter monitis jus protimiseos salvum fuit, juri suo per tergiversationes perpetuas penitus renunciaffe videntur, ac proinde jus, quod aliis principibus, præcipuè M. Duci ac Imperatori Moscoviæ ad Livoniam liberandam competit, dubium reddere nequeunt.

## §. XXXVIII.

*Justum est  
bellum Re-  
gis Polonia  
pro Livonis  
susceptum.*

Qui affectibus & præconceptis opinionibus vacant, ex deductis conjicere poterunt, quam atroces injuriæ illatæ sint ab impiis illis scriptoribus, qui in famosis libellis editis. S. R. Mti Polonicæ objiciunt, injustè bellum Sueciæ illatum esse, interquos Pseudonimus quidam, qui *Euboli Aquilony* nomen

men



men sibi impofuit, meliori jure *Nebulo Aquilonius* appellandus S. R. Majestatem Poloniae publice coram Tribunali omnium gentium, tanquam praedonem accusare calamumque suum improbum in sacrum coronatum caput, unctumque Domini, bonis omnibus id averfantibus, tam petulanter stringere non erubuit, ut, salvo officio hujus nebulonis etsi indignissimi mentionem ac reprehensionem hic omittere non possimus. Hic si tortoris manus evasit, certo certius judicio poenisque supremi numinis se non subducat.

Quamvis autem omnes juris justitiaeque amantes, quibus vana eorum fundamenta propter quae S. R. Majestas Poloniae injusti alicujus contra Sueciam suscepti belli accusatur, cognita sunt, nulla ea esse, statim videant, & quod argumenta illa puris, putis calumniis & incertis petitionibus Principii constant. Hac occasione tamen solum coronidis loco vanitatem harum simulationum & praetextuum eorumque insufficientiam ad injustitiam Suecorum obtegendam brevibus proponemus.

Ne autem nobis res cum tota hac scelerosorum coluvie sit, qui nefarium suum calamum in sacrum R. Majestatis Poloniae caput strinxerunt, ac tot contumeliosa & famosa scripta in lucem edere non dubitarunt, Unum tantum ex hac perditissima & infami nebulonum turba Autorem scil. *Tractatus: Veritas à calumniis vindicata*, quem publicatis à S. R. Majestate Poloniae *Justis vindiciis* opposuit, eique per illum fidem derogare voluit, aggrediemur, ejusque praecipuos articulos & fundamenta summatim percurremus.

## §. XXXIX.

Polonis  
non est præ-  
scriptione  
ademptum  
jus injuri-  
am à Suecis  
illatum  
vindicandi.

Quæ inter alia ad rem non facientia scommata ac maledicta in Dominum de Patkul conjicit, non tangemus. In præcedentibus sufficienter illi totique huic malevolorum turbæ responsum. Hic tantum falsum esse demonstrabimus quod simpliciter impossibile esse contendit, *Status Poloniae Suecis pacem Olivensem violantibus, tanto tempore silere potuisse,* aut violationem pactorum graviter non tulisse injuriam ad animum revocasse, indignationemque ac dolorem suum desuper non declarasse.

Verum, non est quod hoc miremur, siquidem Poloni non tantum post pacem olivensem, sed & per illam ipsam enormissime læsi gravissimumque detrimentum acceperunt. Sueci enim hanc provinciam vi tantum ac violentia extorserunt durante bello tot hostes Polonis excitaverunt, regnumque ita devastarunt, ut dum pax olivensis cederetur, tempori ac necessitati cedere coacti fuerint, postea vero cum vulnera, quæ Sueci eis inflixerant vix obducta erant, neque se sat cito recolligere possent, atque sacro illo foedere icto contra Turcas in Societatem belli ivissent, maximis illis occupationibus pro bono publico districti novas illatas injurias ad tempus commodius dissimulare differreque tenebantur. Probe enim noverant, quas Sueci callidas machinas & artes adhibere soleant, ut non solum alios Christianos Principes, sed ipsos etiam infideles Turcas & Tartaros in bellum contra Christianam gentem evocent, hinc necesse fuit contra pessimum ac tam evidenter periculosum vicinum, se optime providere. Neque enim solemus canem dormientem nisi parati & fuste instructi excitare. Et quid tandem hoc argumentum ad rem facit? Quippe non raro contingit, ut Principes illa-  
tam

tam sibi injuriam ex multis iisque gravissimis causis usque in opportunius tempus dissimulent.

Tempora enim causis fatalia restitutionem in integrum petenti atque jus suum persequenti Principi ut aliis Privatis, qui legibus civilibus vivunt, non currunt. Hinc nec eorum patientia titulum & præscriptionem, ut inter privatos inducit, utpote qui causa cadunt si injuriam statim ad animum non revocent & ante lapsum temporis præscripti actionem suam in judicio prosequantur.

Dici interea non potest, non recordari ubique Polonos amicitiae (vel quasi) illis a Suecis præstitae. Quinimo veteris contumeliae ac injuriarum, præcipue vero dispendii sui & amissionis Livoniae nunquam obliviscentur. Quanquam hoc tempore internæ similtates, ac inimicitiae, studium privati commodi, variaque alia, quæ inciderunt, uti sunt imprimis secretæ Suecorum machinae, & artes aliquos ex Republica quonimus propriis & Reip. commodis vacare recteque consulere potuerint, abduxerunt. Dolendum sane quod in quibusdam Regni Polonici comitiis atque Senatus-Confiliis habitis multi (non duo omnes) ex Senatorio ordine. S. R. Majestatis ad exsequenda incepta, pro eo ac debuerunt, non affuerint.

Perperam vero exinde Suecus colligendo judicat, Polonis non fuisse causas de Sueco querendi. Qua ratione enim tales causæ suæ patronos Emissarii Suecici sibi conciliaverint, inter omnes constat. Non desunt tamen alii Justitiæ ac Patriæ amantes, qui contrariam Sententiam viriliter, magno animo & fortioribus argumentis defendunt. Dum ergo omnium dierum sol non occidit, providentiæ Deorum ac temporihæc res committenda. Acta enim exitus probabit.

§. XL.

## §. XL,

*Bellum Li-  
vonicum  
Rcip. Polo-  
norum nec  
fraudi nec  
detrimento  
fuit.*

Quam verum certumque est, S. R. Majestatis Poloniae mentem ac intentionem fuisse, Livoniam Coronae Polonicae restituendi, tam falsum plane, fictumque commentum est eam hac acquisitione facta, Libertatem Polonorum imminuere decrevisse, atq; ita directè, Pactis conventis contravenisse.

Deus testis est, & omnium optimè novit quod S. R. Majestas perpensis & ponderatis hujus negotii momentis nil, conducibilius, suoque officio convenientius esse duxerit quam ut Provinciam hanc bona fide regno, cui praest red-deret. Luce meridiana clarius id ex supra *sub lit. B.* allegatis literis Securitatis & ex scripto huic annexis *sub lit. I.* conditionibus subjectionis apparet. Qui negotium hoc tractarunt & S. R. Majestati à consiliis fuerunt ex ipsorum scripto comprehensis consultis aliisque documentis & praescriptis rerum gerendarum, imo ex ipsis eò tempore causis foederibus evidentissimè demonstrare poterunt quibus fundamentis nixa S. R. Majestas non existimaverit, è re sua futurum Livoniam sibi acquirere ac retinere sed quod, uti dictum, eam Polonis reddere cogitaverit & ad id efficiendum omnem moverit lapidem. Imo demus S. R. Majestatem Provinciam hanc facillimè sibi acquirere potuisse. Ejus tamen conservatio, ob commune quod Suecis hoc casu cum Republica fuisset interesse huic molimini obicem ponendi longe difficillima imo impossibilis futura fuisset, dum tot locorum intervallis à terris hæreditariis & avitiis. S. R. Majestatis disjuncta remotaq; provincia, Saxoniam totam si non devorasset, vires saltem ejus mirum in modum attrivisset. Plus dicam, si quis R. Majestatem accusare voluerit, quod Provinciam hanc sibi acquirendi, retinendique animum habuerit atque in potestatem suam redigere voluerit

luerit

luerit necessario etiam Eminentissimum Dominum Cardinalem, Primatem arguet quod se huic negotio ingesserit, ab initio enim omnia hujus contra Svecos belli consilia cum eo communicata & Regia Majestas ipsa, ut mox dicturi sumus candido apertoque quasi pectore illi hac de re collocutus,

Qui paulum secum agit, atque cogitationes suas ad rem hanc diriget facile animadvertet hæc proposita Livoniam invadendi ficta seu tantum fabulas esse quæ simplicioribus Polonis passim inspirantur. Facile autem agnoscerent, quam absurda hæc & minus probabilia sunt nisi Svecici illi Emissarii *pro vehiculo*, sive persuasione hujus argumenti aliquot armatorum millia quibus resisti non potest adducerent.

*Auri sacra fames, quo non Polonica [mortalia] cogis  
Pectora?*

Calumnia quoque est, quod dicitur S. R. Majestatem Exercitum propria autoritate in Poloniam induxisse cum tamen tempore scissionis sanior Reip. pars id petierit. Qua ratione Exercitus ad bellum Livonicum faciendum advenerit dicemus postea. Non vero repugnant Pactis conventis aliisque Poloniae legibus, fundamentalibus, nova fœdera à Rege contra Svecum inita. Licet enim R. S. Majestas in Rege Poloniae non esset, electus possidet tamen æque ac exercet perfectissime qua Elector S. Rom. Imperi omnia Majestatis jura atque alius quivis Rex ea exercere potest. Sacra igitur R. Majestas quæ Polonis præest non tantum ut Rex Poloniae considerari debet quasi potestatem jura Majestatis exercendæ solum modo Coronæ Pol. acceptam referat

M

rat

rat sicut alius quis vel Princeps vel nobilis supremam regulam non habens ad solium Polonicum evectus qui utique bellum declarare & foedera nova, sine Reip. consensu inire nequit. Interea non veretur, neque detrectabit, S. R. Majestas omnia foedera noviter facta postulante id tota Rep. sincere, etiam sub fide jurisjurandi Ministrorum, qui ea inierunt cum Senatorio & Equestri Ordine communicare ac testatum facere, quod in illis comoda regni minimè neglexerit. In primis in foedere cum Zareâ sua Majestate cuso *sub lit. H.* hic annexo, fidem suam adstrinxit, curaturam se ut Resp. quoque ad hoc foedus accederet. Quid quidem evidens argumentum est in hoc foedere nihil contra Reip. commoda actum esse. Non enim quem invitare solemus ad foedus in eundum, quo ipsum suppressere intendimus.

### §. XLI.

*Rex Pol.  
bellum in-  
cepit com-  
municatis  
consiliis  
cum Cardi-  
nale Pri-  
mate ali-  
isque re-  
gni proce-  
ribus.*

Falsidicus & turpissimus calumniator est quisquis etiam ille fuerit qui effari aufit S. R. Majestatem dum propositum contra Livoniam perficere voluisset, solum propria autoritate id suscepisse neminemque ex Proceribus Regni Polonici de super consuluisse.

S. enim R. Majestas hæc omnia Anno 1699. Mense Augusto, cum Eminentissimo Cardinali & Primate Regni fideliter non intentionem suam communicavit & tam Comiti de Flemming Consiliario suo intimo atque supremo belli Duci, quam Domino Consiliario status, de Patkul id negotii dedit ut cum Eminentia suâ de hoc negotio sermones ac consilia conferrent omniaque rite expendere;

derent; Quando (2) prædictæ Eminentia suæ Conditiones *sub Lit. I. annexas*, quibus Livonia diademati Polonico annecti deberet idiomate Gallico scriptas examinandas dicti Ministri tradiderunt, vir Eminentissimus in secretiori An. 1699. tertio Septembris Varsoviæ in ædibus propriis noctu habito colloquio admodum probavit inter alia hæc verba locutus, nihil contra eas opponi vel excipi posse, cum conditiones fere eadem essent, quibus Prussia Polonico jure staret regereturque. In qua collocutione Eminentissimus Cardinalis (dicere fere non ausim dicendum tamen est) demonstraturus quantopere hæc consilia ipsi placerent, nullis fere precibus adhibitis, se facile exorari passus est, ut chyrographum quo 100. Mill. unciales sive taleri. S. Eminentia pro ope & accessione sua ad hoc negotium promissi acceptaret. Quibus præviis demum S. R. Majestas solemnni forma Diploma confici jussit hac mente & consilio, ut quamprimum res suas in Livonia stabilierit statibus id ex traderetur ad ulteriores progressus eo facilius faciendos. Postquam ita Eminentissimus Dominus Primas & hoc quoque probaret necessarium proinde esse, monuit hoc negotium clam ac secretius tractari, adeo nulli mortalium ut nec Supremo Duci Campestri innotesceret Imo (4.) ut 7000. milites ad expeditionem Rigensem faciendam destinati selectique ex Exercitu Saxonico, qui tum temporis ex Polonia exhibat, in Regno manerent sub prætextu operum in Portu Polangico faciendorum ipse svasit & effecit fidemque iterum dedit se omnia ope ac Consilio adjuturum prout rebus ipsis quoque testatus est. Adeo autem eo tempore Eminentia sua huic incepto benevoluit ut quando (5) Residens Svecicus, qui negotia Svecorum publica Varsoviæ tractabat, sequenti

M 2

Mense

Mense Febr. 1700. & quidem pridie ejus diei, quo prima in Rigenfes invasio facta est, ex Cardinali sciscitaretur, quid Poloni, in Svecos machinarentur quæ in eos cuderetur faba, quod milites Saxonici in finibus Curlandiæ collocati essent? Vir eo tempore erga Regem fide ac taciturnitate Eminentissimus tantum abest ut quidquam de consiliis à Saxonibus susceptis edixerit ut potius Residentem plane securum reddiderit. Porro (6) Eminentia sua admodum ac animo prompto quod generosus Baro de Blumenthalius Regii Cubiculi Præfectus, ab eo nomine Regis petierat, ad Sereniss. Electorem Brandenburgi cum hac de re scripsit, eumque rogavit ubi bellum ingrueret, securitati Regni prospiceret transitumque militibus Saxonis in Livoniam concederet uti videre id licet ex Responso Sereniss. Electoris ad Dominum Primate[m] hic sub *lit. L.* annexo. Quæ vero causæ fuerint, cur postea negotio huic Eminentia sua minus voluerit, non est hujus loci inquirere. Interim ex dictis satis apparet, quam inique in S. R. Majestatem malitiosi homines isti agant, qui voce, vel scripto hujus negotii ignavos animosque omnium in primis Polonorum hoc falso præsupposito præoccupare ac svadendo adducere student ut credant Regiam Majestatem Poloniæ contra Leges Regni fundamentales egisse *contra* bellum propria autoritate, nullo ex Ordinibus Regni Poloniæ & M. Ducatus Lithuaniae consulto Svecis indicendo, cum tamen negari non possit supremum M. Ducatus Lithuaniae Thesaurarium Sapieham huic consulto interfuisse ac incepta probasse.

Damus quidem, per leges fundamentales non licere Regi Poloniæ soli, ordinibus inconsultis, jus belli ac pacis exer-

exer-



exercere: Illud tamen hic monendum esse existimamus, quia propter infinitam casuum varietatem, omnia speciatim & singulatim comprehendi, & definiri non possunt, leges illas generales in casibus particularibus suas pati exceptiones, ac per legitimas limitationes atque interpretationes explicari atque restringi, nec non ad casus in illis non decisos per convenientem interpretationem produci debere. Quando autem hic casus de quo in præsens sermo est, exceptionem à Regula, sive lege generaliori non admisisset, quare Eminentissimus Cardinalis, uti Primas Regni, hui rei adeo indulgit, nec se ab initio ut factum in progressu, illi opposuit.

Nemo prudentiæ & dignitati Eminentissimi viri hanc injuriam faciet, ut accusare eum velit, quod sciens volensq; vera animi sensa dissimulaverit, S. R. Majestatem seduxerit, atque tantum ignem hunc, quod agunt, incendere voluerit ad aliud aliquod propositum in totius patriæ perniciem ex inveterato quodam rancore & vindictæ cupiditate exsequendum. Novimus, quippe optimi viri ingenium justum, maximè sincerum patriæq; amantissimum, ut talia cogitare deq; eo præsumere nefas foret. Certum itaq; est, cum Eminentia Sua, uti Custos legum Patriæ, Primasq; Regni, eo tempore hoc negotium approbaverit, Regem omni suspitione quod aliquid infidiosi in fraudem fundamentalium Regni Poloniæ LL. intenderit, liberum esse. Consulendo enim ipsum custodem Legum, in illas peccare non potuit. Imò quoniam Regia Majestas illo incio nihil intentavit, neque tamen consilii alicujus præcipitis aut rei à legibus aberrantis admonitus fuit, omnis culpa,

M 3

si quæ

si quæ esset in Purpuratum istum redundaret. Ubi enim de apicibus juris & æquitatis quæstio occurrit; An sc. leges fundamentales hæc vel alia agere permittant nec ne? sententia iudiciumq; Domini Cardinalis, & Poloniæ, in qua natus est, Primatis prævalet. Ipse enim regni jura eorumq; vigorem omnium optimè novit, eaq; est præditus scientia & virtutibus, quæ supremum Regni Senatorem decent, ut extraneus Princeps recenter in Regem Poloniæ electus jure meritoq; ejus verbis tanquam ex tripode dictis plenam fidem adhibeat, nec ideo postea propterea culpari reprehendiq; possit; Nisi quis malitiose ac præter fas animo contradicendi omniaq; carpenti studio, eum culpæ damna-req; velit, uti ad reprehendenda Principum facta dictaque passim omnibus ardere solet animus. *Neque enim Jupiter ipse seu pluat, omnibus placet, seu sit serenus.*

## §. XLII.

*Livonia re-  
ferri debet  
inter ille-  
gitime à  
Regno Po-  
lonico a-  
vulsa.*

Quamvis nec ipsi Sueci diffiteri audeant, Serenissimum Regem Poloniæ per pacta conventa ac recuperanda avulsa obstrictum esse, tamen pacta hæc ex mente & Sententia eorum, ad propria commoda explicandi atq; interpretandi potestatem sibi arrogant, cum tamen Serenissimus Poloniarum Rex ab una & Serenissima Resp. ab altera parte, solum ea inierint, adeoq; iis tantum competat definire, an eo tempore, quo pacta illa inita, Livoniam ternis à Regno avulsis annumeraverint nec ne. Opponit Suecicæ causæ Patronus, R. S. Majestati vi Capitulationis cum Polonis inite ac præstiti juramenti *sub lit. M.* hic adjuncti, incumbere quidem illicite avulsa recuperare, non autem ea,

ea,

ea, quæ legitimis Pactis & cum totius Reip. consensu in aliorum potestatem devenerunt. Inprimis acriter urget verba illa: *Quocunq; modo alienata, vel bello, vel quovis alio modo distracta*, persuadereq; conatur Livoniam inter ea non recenferi, adeoq; ab hac generali Regula exclusam esse, quoniam alias absurdum, quod interpretes in explicandis pactorum formulis evitare debent, exinde consequeretur, Serenissimæ Reip. proceres Levitatis alicujus accusari posse, quod ab una parte cum exteris Principibus pacta ineant, ab altera vero ea destruant, consequenter vinculum ac præsidium societatis humanæ dissolvant, atq; omnibus illius vicinis eodem tempore bellum declarent.

Falsam autem veritatisque contrariam hanc esse sequelam quilibet videt. Poloni [de Rep. loquor] semper fœdera pactaque cum aliis inviolabiliter servare studuere, adeoque sic se præstitere, ut bonam fidem nunquam apud se interire passi fuerint. Damus quidem, pacta non eo modo esse interpretanda ut absurdum exinde aut communi æquitati contrarium sequatur, cum invictum inter homines præceptum sit: *Pacta servanda esse*. Nihilominus illud cum clausula pactorum conventorum de recuperandis avulsis benigna interpretatione ita facile conciliari potest ac debet, ut utraq; in valore maneant. Æquitati & omni juri consentaneum est, ne in pactis verba otiosa ac nihil significantia reperiantur. Sic Polonis nunquam in mentem venit neque veniet, ut legitimè à Regno Poloniæ magnoque Ducatu Lithuanix alienata revocare aut repetere velint, qui fidem vicinis suis religiosius servare solent quam Sueones unquam fecere. Quod ad pacta con-

venta

venta attinet, nihil illa contra jus naturæ & gentium aliorumque Regnorum utum statuunt. In illis enim Recuperatio illorum quæ illicite & interveniente vi vel fraude avulsa, non quæ legitime alienata sunt, intenditur. Conveniunt in eo juri civili & naturali: Illud quidem omnia illegitime, vi vel dolo, vel per enormem alterutrius partis læsionem acquisita pristino Domino, per ordinaria aut extraordinaria remedia, rescissis eis quæ gesta sunt, restituit. Quod quidem multo magis in statu naturali, ubi libertas hominum non adeo limitata atque apicibus juris adstricta est, obtinet, ac ubi Princeps eodem erga Principem, ac Privatus erga Privatum jure utitur. Quod eo magis obtinet, quando Princeps post læsionem, in actibus solennibus, uti est in Polonia Regis electio [quæ post pacem Olivensem jam tertia vice facta] non furtim aut clam sed palam in conspectu omnium, etiam ab extraneis Principibus transmissorum ipsorumque Sueciæ Legatorum, in pactis conventis, se animum avulsa dereliquendi non habere protestetur, sicque possessionem civilem, naturali licet amissa sibi reservet, adeo ut nullius fraudis aut fraudulentæ alicujus reservationis mentalis juste accusari possit.

Sic etsi Reges Hispaniæ contra Franciam, ob Burgundiam, Anglia ob ipsam Galliam, Elector Saxonicus propter Juliacum Cliviam, Montes &c. alique plures variis quidem pactis initis, cum res aliter non ferrenti possessorio ac juri suo in re renunciare, aliisque possessionem quasi ex interdicto; *Uti possidetis* cedere ac relinquere debuerunt nihil ominis tamen conservatione & pacata usurpatione

patione

patione titulorum animum non derelinquendi, sed suo tempore in petitorio repetendi sibi que vindicandi abunde declarant. Neque, tamen illos unquam accusatos audies, quasi fundamentum juris naturæ ac vinculum societatis humanæ tollerent; quod Sveci Polonis imputare non verentur, qui tamen per Pacta Conventa nihil injusti & fraudulentum, sed id solum intendunt, quod dicti Principes, quando terras amissas, sibi tamen suisque nominibus in epistolis, inscriptionibus, elogiis ac Titulis honorum ad scribunt, earumque symbola in figillis exprimunt. Sic in insignibus Regum Hispaniæ crux regni Hierosolymitani primum locum occupat; in armis vero gentilitiis Regum Sveciæ, Symbola, Bavariæ Juliaci, Cliviæ Montium, aliarumque terrarum, quas nunquam possidere, in quibus tamen quid juris sibi arrogant, utramque paginam faciunt, ac medietatem scuti replent. Si ergo Patronus Causæ Svecicæ Livoniam inter avulsa numerare renuit, certe ea quæ in Historiis hac de re annotata invenit, delere atque cancellare, omniaque inter Polonos ac Svecos edita scripta oculis hominum subducere tenetur; vel si nolit ea Jcto Holmiensi, cui, *Deductionis* refutatio pro pudor! commissa fuit, asservanda tradere, opus erit ut ad asserendam confirmandamque putridam causam suam novum jus inducat, novisque, hactenus ignotis principiis demonstrat, translationes Domini, vi metuque extortas, vel quibus dolus causam dedit, modosque acquirendi derivativos, quibus bona fides & justus titulus deest, valere, & juris sortiri effectus. Quod si esset, sicarius & publicus latro, qui innocentem viatorem aggreditur, eumque occidere minatur, nisi omnia, quæ secum portat, pro redimenda vita cesserit ex hac hypothese securus esse posset, modo se cum deprædato reconcilians patetum

N

ctum

Etum coacta spoliati voluntate extorqueat, se quamdiu vi-  
 xerit, nihil repetiturum; adeò ut à Spoliato ob vim pu-  
 blicam vel privatam in Jus vocatus, exceptionis loco, pa-  
 ctum producere possit, hoc effectu ut spolium vigore Instru-  
 menti Gvarantigiati & legitimi Pacti retineat, neque illud  
 tanquam illegitime alienatum haberi possit. Quisquis ille  
 est nasutulus ac fabulosus defensor alienationis Livonicæ,  
 compareat in comitiis Polonicis ad Thema hoc exercitii  
 gratia examinandum: *An sc. poloni Provinciam Livonia inter  
 illicite alienata seu avulsa collocent?* Etsi numerus eorum qui  
 Svecorum partes etiam volentes sequuntur, minime exi-  
 guus est, qui tamen nimia contentione contrarium defen-  
 dere voluerit nonnulli ex Paciscentibus, qui optime id quod  
 ipsi statuere, norunt, hanc rem ita explicabunt, ut semel fa-  
 cta lectio repetita non sit placitura. Imo in ipsa cute sen-  
 tiret, quanta vis ac nervosa emphasis in acinacibus Polono-  
 rum lateat, significantius ac gravius quæstiones ex Jure Pa-  
 trio explicandi & contradictiones refutandi. Nemo sane  
 ex illis quantopere etiam Svecorum causæ favere multi vi-  
 deantur hoc argumentum unquam pro Svecia defendit aut  
 in controversiam Jus Polonorum Livoniam recuperandi  
 duxit, quanquam nonnulli, qui per somnium sibi sunt ima-  
 ginati, Regem hac occasione posse in Regni detrimentum  
 quid moliri, hanc quæstionem movere noluerint. Quæ, nisi  
 fallor, sola, quamvis nullo fundamento vel specie veritatis  
 nixa causa fuit, quod ante hac nemo de provinciæ hujus a-  
 vulsæ recuperatione consilia vel sumserit vel dederit. Qui  
 attento animo historiam Seculi XVI. & XVII. legerit, de-  
 prehendet, Svecos Poloniam, nulla belli causa accepta, ho-  
 stiliter non semel invasisse. Certe Rex Sveciæ Carolus, e-  
 jus nominis IX, quando Livoniam invasit, nullam belli cau-  
 sam,

sam,

sam, præter Jus congrui (*Galli le Droit de labicu seance vocant*) allegare potuit. Tempore vero magni atque gloriosissimi Regis Gustaphi Adolphi, quando Sveci periculo, quod Wallenstenius toti fere Europæ minari videbatur, se prævenire velle causabantur, nihil aliud intendebant, quam ut Dominium Maris Balthici sibi solis adfererent, aliisque belli in amicorum solo gesti commodis atque compendiis frui possent. Hinc quotiescunque opportuna commodaque occasio ipsis defuit propositum ex sententia perficiendi ac arma victricia latius circumferendi, statim ad tractatus pacis vel induciarum profiluere. Quibus tamdiu steterere atque acquievere, quamdiu pro commodis & ex re eorum visum fuit. Favente autem tempore nulla pacta fœdera-que ipsis sic firma validaque fuerunt, ut non facile aliquis ad infringenda illa prætextus inventus fuerit. Sic statim ad implorandum supremi numinis in injusta causa auxilium solennes supplicationes indictæ, Poloni diversarum Svecis illatarum injuriarum in libellis editis accusati, fabulaque lupi, qui agnum ab turbatam aqvam falso ac sine causa accusatum dilaniat cum vicinis feliciter acta.

Ex Relationibus Baronis Rolants, Svecici olim ad Portam Ottomannicam Legati, aliisque quæ posteris de hac legatione relicta sunt, scriptis videre est, si non Christianorum, tamen Svecorum morem esse, Turcas, Tartarosque adversus Christianam nationem evocare; Svecosque adeo, non tam quod æquum, bonum justum, ac honestum, sed quod utile est, sequi, & amplecti, sibi que libenter, quidquid etiam fuerit, sumere solere, *sive captum, sive raptum, modo sit aptum*. Postquam ita Sveci tantum non ex omnibus mundi plagis hostes contra Polonos excitaverant, illorumque auxiliis adjuti regnum rapinis, cædibus impleverant ac funditus

ditus devastaverant, ut ad huc hodie non vulneribus cicatrices vix obductæ sint, Poloni belli tam diuturni atque atrocis calamitate labefactati, ac tantum non oppressi, tandem necessitati, quæ legem non habet, cedere, ad patriæ animam jam quasi agenti succurrendum, Pacem Olivensem inire, ac subscribere, quod nunquam alias fecissent coacti fuerunt.

Et tamen his omnibus nihil obstantibus Livonia haberi debet ac si legitime, irrevocabiliter atq; valide alienata in Suecorum potestatem transierit, neque inter illicite avulsa, [vid. Puffend. de J. N. G. L. IV. C. VI. §. ult. Grot. L. III. c. 24. §. 7.] de quibus in Pactis conventis sermo est collocari posset. Verum quidem est, res bello captas occupanti cedere, dominiaque illarum ultimam firmitatem acquirere, quando is, cui illæ ereptæ sunt, per pacem prætensioni, ad easdem renunciat; non autem introductus est ex Jure Gentium hic acquirendi modus, æquitate Juris naturæ illud suadente, sed ex necessitate, ad evitandas confusiones & amputandas lites, ne Dominia rerum in incerto maneant, litesque inextricabiles, eæque æternæ inde oriantur. Effectum fortasse fortiretur, quando contra tertium allegatur, aut cum litigantes Principes tam ab una, quam altera parte nullum liquidum jus in petitorio, aut Possessorio probare possunt, sicque aleæ belli id decidendum reliquunt.

Illud verò hic tanquam palmarium occupationis bellicæ fundamentum imprimis nosse oportet, quod ubi causa belli & invasionis injusta est, effectus quoque illius, occupatio scil. bellica, injusta esse debeat, injustos quoque, nullos, & irritos, interna injustitia, omnes esse actus & effectus, qui inde nascuntur, vitiumque rem occupatam semper sequi.

qui.



qui. Solus vero titulus belli semper odiosus fuit; magisque latronibus quam bonis Principibus convenire videtur, nullum alium possessionis suæ titulum edere posse, quam illum: *Possideo, quia Possideo; quia bello capta, [vi erepta] occupanti cedunt.* [Grot. de J. B. P. L. III, C. X. §. 3. Id. L. III. C. 19. §. 11.]

Debuissent Sueci eo tempore quo Pax cudebatur, cogitasse, se aperta vi, & violentia Polonis Livoniam eripuisse, adeoque, translationem hanc imperii in Livoniam vitiosam esse; Polonos verò, & quorum interest, regulæ communi in hæerere posse, quæ docet, res cum vitio suo, transire. Neque enim possunt hujusmodi usurpatores per extensionem Instrumenti Pacis, licet sub invocatione S. S. Trinitatis inchoatum, atque ita Nomen Domini illufum sit, ex summa injuria Jus, ex æquo iniquum facere. Moverunt illud, quod vi metuque extortum, commodo tantum datum esse, & quod ille, qui bona alterius injuste sibi vindicavit, injustum dicere, ac culpæ nequeat, si pars læsa, fractis & dissipatis viribus restauratis, favorabiles occasiones, quæ oriuntur & quas Deus arcano quodam consilio providentiæ ipse dirigere, ac subministrare videtur, veluti tacitam & implicitam quandam vocationem Divinam amplectatur, ad vocandum in jus usurpatorem, actionemque in puncto spoli, & restitutionis in integrum, cum omni causa contra eum instituendam, eo quidem modo ut in statu naturali inter Principes legibus civilibus solutos, quos ad prætorem in jus vocare non licet, fieri solet. Pacta hæc enim, & transactiones, quæ tabulis pacis inferuntur, sententiis illis interlocutoriis quæ in quæstionibus Possessorii momentanei feruntur, comparanda sunt, ubi Prætor Possessorem in Possessione ex Interdicto: *uti possidetis* tuetur, salva

manente petitori proprietario, actione ac rei vindicatione, in Petitorio instituenda. Sic quando Titulus belli, non quidem ex dictamine Juris naturæ, ceu in foro conscientiæ validus attamen ex Jure, & consensu tacito gentium, necessitate id exigente, invaluit & introductus est, hic finis fuit, ut pax ac concordia inter illos, qui in statu naturali vivunt, promoveri, injuriæ perpetuæ quasi oblivioni deleri, ac liter extinguere commodo possint; Verum illud considerandum quoque erit, graves admodum, & infinitas, ex hac doctrina turbas excitari ac pullulare posse. Sic videlicet potentior, ubi debiliorem superavit, ac omnibus bonis exuit, postea spolium specioso illo titulo belli defendere sibi; uti justè quæsitum retinere posset.

Sic janua aperiretur violentia spolio ac injustitiæ, Jus ac justitia inter eos qui nullo civili jure sibi obligati sunt libidini ambitiosi cujusdam hominis subjicerentur, civitates passim, quales Hobbesius [*Hobbes de Cive, C. II. §. 7. & seqq. Spinoza in Tr. Theol. Pol.*] statuere conatus, nasci videres, in quibus jus illud laxius ac quasi universale *Omnium in omnes & in omnia*, conceditur; quod quantum Juri naturali ac fundamento societatis humanæ repugnet, quilibet videt. Quæ enim quæso turbæ nascerentur, si pacificus quisque in spolium ambitionis, voluntatique malorum committeretur, ob hanc solam rationem, *quia alter potentior?* [*Pufend. de J. N. G. L. II. C. V. §. 3. n. f.*] Econtra vero, quod si injusti homines regnandi; cupidate flagrantes, qui fines cum ruina ac interitu vicinorum proferre intendunt, viderint, se violentiæ suæ patrociniū nec apud Deum nec apud homines unquam sperare posse, nullumque superesse juris remedium vel saltem speciosum prætextum quo spolium defendere poterunt, certe non tam facile falcem in alienam messem

fem

sem mittent, quin potius vereri debent, nec se nec posteros possessione rerum male quæsitaram ac vi occupatarum diu gavifuros. Natura enim omnibus ingeneravit, ut non tantum nobis ipsis, sed & posteris nostris provideamus, qui sic periculis semper subjecti forent.

§. XLIII.

A vero longe aberrat Suecicæ causæ Patronus dum per prædictam P. C. interpretationem vicinis bellum inferri contendit. Quid hac sua glossa velit facile omnibus patet. Scilicet conantur Sueci hoc argumento alios contra Poloniam Principes excitare, eos pessimæ causæ suæ immiscere, causamque communem quoad hunc casum cum iis stabilire. Præcipue vero explicatio hæc inservire videtur, ut glaucoma Serenissimo Prussiæ Regi ob oculos objiciatur eoque inducatur, ne ad hoc negotium, ita ut proprium commodum exigere videtur, concurrat. Sed in cassum laborant. Jus S. R. Majestatis Prussicæ & Electoris Brandenburgici in Prussiam aliis quam Suecorum in Livoniam nititur fundamentis, neque dici potest, Prussiam ut illegitimè avulsam seu alienatam possideri. Serenissimam enim Domum Brandenburgicam antiquum in Borussia jus modo eo tempore quo Borussia in imperium Polonorum pervenit, habuisse ex actis publicis constat. Cum Anno 1655. Sueci bello non indicto sed inflicto, cum ingenti exercitu Poloniam inundassent omnia ferro flammisque devastantes Poloni vero statim ab initio sat validis viribus hosti tam immani resistere minime poterant, Elector Brandenburgi facile prævidit, si quid contra Suecos moliri vellet, vix omnes suas vires, multo minus suppetias quas ex vinculo Vassallagii ob Prussiam ferre obstrictus erat, sufficientes fore ad avertendum sui totiusque Regni Polonici interitum.

*Prussia  
quidem à  
Regno  
alienata  
sed modo  
jure dissi-  
mili.*

Cum

Cum enim Pomerania aliæque Brandenburgicæ ditionis terræ invasioni hostium paterent, Elector ut temporis beneficium captaret, ac tempestatem quæ terris suis imminabat, averteret, postulatis Svecicis se accommodare debuit; Quod non minus prudenter quam optimo etiam jure factum. Constat quippe ex Consuetudinibus feudalibus, Vassallum sui conservationem quærere ac se ipsum omni meliori modo tueri posse, si Dominus Feudi eum deserat vel defendere nequeat: Imo hæc Electoris Brandenburgici agendi ratio salva esse ipsam Poloniam videtur. Si enim se ab initio aperte contra Sveciam declarasset, res ejus in eum facile statum redactæ fuissent, ut Polonis opem amplius ferre minime potuisset, uti postea tamen majori cum efficacia factum. Vix Poloni à primo pavore se recollegerant, viresque ac animum sumserant, Elector Brandenburgicus ad propria ac vera commoda respiciens his periculofissimis temporibus, cum proximus arderet Ucalegon, Seren. Reip. amice obtulit, se plura illi officia præstiturum, quam vinculo Vassallagii præstare obstrictus esset, neque tantum Prussiæ, sed omnium suarum regionum vires & copias in Polonorum commoda allaturum accommodaturumque, aliosque Principes ad ferenda Polonis auxilia sollicitaturum etsi Prussicæ aliæque ejus hæreditariæ atque Electorales provinciæ incursionibus hostis paterent, qui eis facta postea declaratione nullo modo pepercit. Hoc insigne Serenissimi Vassalli meritum ac beneficium, Rex & Resp. Pol. insigniori redhostimento remunerari volentes, jus ejus in Borussiam, uti omnes norunt, augendum esse statuerunt, hac tamen lege, ne Prussia à Polonia penitus separata esset, ut Poloni in ea jus radicatum haberent recognitioque Feudi inditionibus Lavenburgi & Butami remaneret. Nihil ergo aliud  
Electo-

Electoralis Brandenburgica Domus, in qua non tam facile masculi deficient, in Prussiam, quam laxiorem habendi modum consecuta est.

Elucet exinde *quantum distent æra lupinis*, & quam dispar sit utriusq; juris ratio, & quam diversa militent utrinque argumenta, Inprimis antiquum jus Brandenburgica domus in Prussiam habuit, quod merito vires suas obtinuit, quando extincto Domino Magistrorum Ordinis in Prussia, imperium Poloniæ successit, prout in Curlandia post facta ultimi Magistri Ordinis pari rationis usu venit. E contrario antiquum illud ac immemorabile, quod Sueci nunc primo venditant in Livonia Jus, ex fabulis anilibus de promptum nullo solido fundamento nititur.

II. Per pacem quidem Olivensem tam Brandenburgica Domus in Prussiam, quam Svecus in Livoniam jus acquisivit verum factum idest ob causas planè diversas. Brandenburgici quidem titulo valde onerosè pro indemnitate ac in remunerationem auxilii, quod Polonis tanquam belli socii tulere; quando contra Svecus Livoniam vi hostili Polonis extorsit illamque tantum jure belli possidet nihilque unquam prætermisit quod ad exitium & perniciem Regni Polonici tendere possit.

III. Prussia non in perpetuum alienata, ob spem scilicet reunionis, quæ casu existente Polonis reliqua est.

Econtra Livonia in perpetuum Coronæ Polonicæ adempta, omnisque adeo spes præcisa videtur eam recuperandi, nisi quis Deus ex machina.

IV. Poloni fœdere sanctiori, pactoque perpetuo Brandenburgicos obstrictos habet, & ab eis opem ac auxilia contra quemcunque regni hostem expectare ac nancisci possunt: Svecum vero non aliter, quam ut hostem ac vicinum

O

exiti-

exitiosum, à quo semper sibi cavere debent, ad minimum ut amicum valde suspectum habere possunt. Quamvis Hoc quidem tempore, arcano, sed justo, sine dubio, Dei iudicio ita permittente, propria sua commoda negligere videantur, tanquam inertes ac otiosi, supinis ac complicatis manibus, spectatores, quando Sveci integrum Regnum pervagantur ac patriæ aras focosque impune depopulantur, ac è re eorum esset, Svecos omni ope ac studio in propriam sui perniciem juvare, ubi si Regi fidas suppetias ferrent, facile hostem in viscera Regni jam grassantem propulsare atque repellere possent. Verum, quorum fortunam mutare Dii constituunt, eorum consilia corrumpunt, ait Vellejus Paterculus l. 2. c. 57. & 118. Quod & Deus ipse de se apud Esaiam Prophetam cap. 43. testatur. Hinc Sveci, videntes omnia sibi in Polonia hæctenus ex animi sententia succedere jus multo antiquius quam ipsi Poloni habent, in Livoniam & Curlandiam sibi jam arrogare ac protrudere non erubescunt. Ex quo, qui sensu communi tantum utitur, conjicere facile potest, quæ tandem merces ac remuneratio à Svecis in Remp. redundabit, quod nonnulli ex gremio illius Regem Sveonum non tanquam hostem sed hospitem, socium, & amicum, imo tanquam Protectorem libertatis, Polonicæ laudaverint ac proclamaverint. *Adeo torpere ultra, & polluentem perdendamque Remp. relinquere sopor & ignavia videt. vid. Tacit. III. Hist. Cap. LXXVI.* Atque sic brevibus exposuimus, quam perperam Sveci studeant Regem Prussiæ huic bello contra Polonos implicare, ac cum eo causam communem facere.

§. XLIV.

*Quando  
Rex & Pri-*

Quandoquidem prælaudatus Auctor noster id in primis operose urget, primam illam ac solennem Regis cum Ordinibus

nibus

nibus Poloniae conventionem in eo violatam esse, quod bellum Svecis sine consensu procerum Regni Poloniae illatum fit, Sveciaeque Emissarii illud passim in Polonia divulgare ac credulae plebi publicorum negotiorum non satis gnaræ imponere student, operæ pretium erit inquirere: *An sacra R. M. Polonia ac Eminentissimus Cardinalis primas Regni perperam egerint, ac causam suam dicere teneantur, quod sine solenni repetita in Comitibus deliberatione, summario quasi modo hac in re processerint?* Brevibus antea diximus, pacta omnia, ac conventiones tam inter eos, qui sub imperio civili sunt, quam inter illos, qui in statu naturali vivunt, nec ullius alterius supra se imperium agnoscunt, prout casus postea emergunt, æquam in legibus & sana ratione fundatam & ad finem scopumque pacti tendentem explicationem admittere, ac ad casus alios in illis expresse non decisos ex ratione exstantium per convenientem interpretationem produci debere. Quemadmodum id fit sæpissime, cum ob infinitam casuum varietatem non omnia speciatim & sigillatim in pactis legibusque comprehendere ac definiri, imo nec prævideri queant. Optima vero illa censebitur & æquisissima interpretatio, quæ ad finem & institutum pactorum adsequendum maximè est comparata.

*mas Polonia bellum contra Svecos decreverunt, nihil in leges regni admissum.*

In præsentis casu, quo de recuperatione Livoniae agitur, non solum S. R. M. Pol. una cum Eminentissimo Cardinali Primate, sed etiam omnes alii, quibus interesse & arcana status Poloniae nota, nemine unquam contradicente pro affirmativa Quæstionis: *An?* steterunt; postea vero in deliberatione quæstionis: *Quomodo?* prudenter cognovere, quod si propositum hoc non celaretur, atque executio statim susciperetur, occasio tam favorabilis, qualem Polonia nunquam habuit, nec unquam habitura est, præterlaberetur. Sic eminentissimas Primas, *cujus approbatione prævia Rex to-*

*tum hoc negotium susceperat*, qui, si vim summi ingenii, atque iudicium ejus sincerum, acre atque subtile, delniq; auctoritatem qua in Regno dignissimus pollet spectes, supra eminentissimos quosvis Poloniæ proceres facile eminet, sane egregium non solum prudentiæ sed & laudandi erga Patriam ardoris specimen hac occasione edidit. Vel enim solenni deliberatione prævia, consilium hoc omnibus revelari atque ita totum negotium pro bono Reip. susceptum rejici: vel utilitas Reip. unicus Pactorum Conv. finis, promoveri, adeoque inceptum hoc cum paucis quibusdam, iisque gravioribus communicari, reliquis vero caute celari ac citissime perfici debuit. In hoc dubio Eminentia sua optimo jure ac prudenter sane, postremum elegit, benignarus, quod in hujusmodi casibus communiter intentio ac scopus illius, qui legem, quæ obstare videtur, tulit, vel pactum iniit, attendi atque ponderari debet; quid videlicet legislator, aut pars compaciscens eo tempore quo lex dicta, aut pactum initum, statuisset, quando de casu noviter emergenti cum omnibus circumstantiis submonitus fuisset.

Neminem autem credo fuisse inter Polonos aut Lithuanos, qui hoc consilium ambabus, quod ajunt, manibus non fuisset amplexus, ubi quilibet, nisi cœcutiens haud difficulter intelligere potuit, quam facile urbs Rigenfis ac præstantissimum fortalitium Neomundæ, uti claves Livoniæ, à quibus certa totius provinciæ acquisitio dependet, capi potuissent, imo ad ea occupanda nec copiis auxiliaribus Reip. nec minimo ejus sumptu opus fuisse. Quid quidem alias sine magna vi & pecuniæ & militum non nisi difficulter admodum perfici potuisset.

Hic ex omnibus à studio partium alienis tam Polonis quam exteris quærere licet: An non tacitus universæ Reip. con-

con-



consensus, ac eorum quorum interest, præsumpta voluntas clarissimis judiciis appareat, ut vel patriæ proditor aut summe stupidus quis habendus sit, qui huic positioni contradicere aut præsumptionem tam evidentem in dubium vocare voluerit?

Eventus etiam docuit, propositum hoc non vanum, præposterum ac temerarium, sed ejus fuisse naturæ, quod perfici facile potuisset. Rex Poloniæ enim cum exercitu qui Eminentissimo Cardinale fideliter cooperante in Polonia retentus, non solum castellum Cobrense stricto gladio versus flumen cepit [quod alioquin alio anni tempore ob natura & opere bene munita propugnacula obsidione cingi, factisque fossis continuati aggeris capi debuisset.] Verum etiam fortissimam arcem Neomundanam, nullis fere operibus & cuniculis factis, in suam & Reip. redegit potestatem, ostenditque adeo, se non umbram aut Tantali instar poma fugientia captasse, neque opus viribus suis impar suscepisse, uti facile Momus aliquis cavillaretur, qui jam visis quæ acta sunt, obmutescere ac propriam in se calumniam pudore suffusus devorare tenetur.

Occupatio harum arcium tanti erat, ut Sueci ipsi, probantibus id multis testimoniis fide dignis, de Livonia jam actum esse, crediderint, eamque quasi pro derelicta atque amissa habuerint, imo vix de ejus conservatione cogitaverint. In consilio quidem cum Eminentissimo Primate præteritis Augusti & Septembris mensibus Warsoviæ habito decernebatur; Rigam ipsam ex improvise capiendam esse, Impedimenta vero aliæque difficultates, quæ in momento executionis super venerunt prætereaq; negligentia supremi Livoniæ Gubernatoris, qui arcem Neomundæ necessario milite ac instrumento bellico non providerat, in causa

O 3

fuerunt

fuerunt, ut Comes Flemingius, strenuus non minus quam prudens Belli Dux qui tunc copiis regiis cum imperio præerat, mutato consilio ad arcem hanc prius occupandam animum adpulerit, quod occupatio ejus necessario deditio- nem urbis Rigæ post se traheret, non vero vice versa. Fortalitium enim illud ita situm est, ut tempore æstatis difficili- oris fit accessus, ac per navigia omni com meatu facile pro- videri possit. Subjacet ergo obsidio illius arcis multo ma- joribus dubiis ac periculis, præstatque eam quam Rigam ipsam occupare, quæ arce illa ad ostium Mundæ devicta, om- ni Suecico auxilio destituta, tandem certo certius herbam porrigere ac se dedere tenetur. Prout revera hæc urbs eo- dem ad huc anno in potestatem Reip. cecidisset, nisi in initio progressuum tam felicium, exitiosæ ac nefariæ Polonorum quorundam, qui Reip. pessimè consulunt, factiones ac artes S. R. Majestatis incepta sufflaminassent. Mirum ergo non est, derelicto ita Rege factionibusque infinitis contra ipsum dolose cusis, principium dulce finem tam amarum excepisse. Illi vero quibus optimam intentionem R. S. Majestatis pri- vati commodi causa frivolis nugis ac fraudulentis artibus eludere contigit, non tantum supremo judici, sed & posteris suis in Polonia, qui penitus negotium hoc intuebuntur, ra- tionem reddent, imo post funera proditores patriæ cum maxima nominis sui infamia audient; Ea vera fuit Emi- nentissimi Cardinalis in initio hujus rei agendi ratio, ut si in contrarium inclinasset, nec in hoc bellum, prout fecit, con- sensisset, optimo jure accusari potuisset, Eum si non adver- sus Patriæ commoda ivisse, saltem uti Senatorem prudentia tantæ dignitatis fastigio digna destitutum se gessisse. Ubi è contrario, quamdiu memoria horum erit, apud quoscunq; semper honos nomenq; viri laudesq; manebunt, ac in omni- bus

bus

bus Historiis similibusq; occasionibus, uti infigne fidei ac pietatis in patriam Exemplum allegabitur. Eoq; magis modus procedendi Eminentiaē suae defendi potest, cum & extraneus quisq; aut alius Polonus, si in commodum Serenissimaē Reip. negotium hoc proprio motu incepisset, tantaque commoda in Regnum nec vocatus nec rogatus contulisset, non culpari sed omni laude ac honore dignus haberi deberet, nisi quis Justitiam & commutativam & distributivam turpi ingratitude laedendam esse censuerit.

§. XLV.

Superest adhuc alia non minus necessaria quaestio ex *Rex ex pa-*  
 cutienda: *Etis con-*  
*Pactorum cum Rep. conventorum obstricta fuerit. Articulum de ter facere*  
*recuperandis Avulsis in hoc casu contra Sueciam solenni Ordinum non debuit,*  
*deliberationi subicere?* Quod optimo jure negandum esse puto. S. R. Majestas quando Pacta illa quae conventa vocant, iniit, non solum honorem Regium Serenissimaē Reip. sed & conscientiam suam, praestito jure jurando obligatione valde onerosa, Deo obstrinxit. Quoniam vero, quilibet, etiam in statu naturali constitutus, id praestare tenetur, ad quod se modo tam religioso ac solenni obligavit, Officiumq; honesti viri, multoq; magis boni Principis requirit, fidem tam sancte datam liberare. Soli Poloniarum Regi incumbit, de modo mediisq; quibus promissa implere ac se à nexu, quo se adstrinxit, solvere potest, cogitare. In dolo autem ille versatur, qui Regem id exequi impedivit, eumq; postea convitiis hominum, quasi praestanda non praestitisset, subicere studuit. Quapropter ad immortalem suam apud posterios duraturam gloriam omnem lapidem movit, ut ostenderet Principi magis quam cuiquam privato convenire, ut fidem datam servet atq; liberet.

Extra

Extra omnem dubitationis aleam positum est, Regem Pol. per pacta C. ad recuperandum avulsa obstrictum esse, modum, locum & tempus vero promissa hæc præstandi, statuere non Rei Publicæ ut stipulanti, sed R. Majestati ut promittenti incumbit. Naturale enim est, quod civilia quoque jura statuunt, ut in illius, qui ad dandum vel faciendum obligatus est, solius optione & electione stet, modos solvendi atque tollendi obligationem, exprimere. Absurdum sane foret, debitorem, qui se indefinite ac generaliter ad dandum vel faciendum aliquid obstrinxit, cogere, ut à creditore petat si liceat sibi propriis sumptibus factis, ea adhibere media quibus debitum expungere possit. Scrupulositas hæc debitoris omnibus merito adeo ridicula videri, ac creditor, qui id exigeret, malitiosus haberi deberet. Si denique objiceretur: *Quare præ aliis de Livonia recuperanda cogitatum fuerit? regeri posset: Quoniam inter præstanda plura sunt nullumque definitum reperiat, Annon optis Debitoris sit?* [Conf. Pufend. de J. N. G. L. V. C. XII. c. 5. l. 1. ff. de solut.] Idem in pactis & contractibus obtinet, ubi quis indefinite vel dari vel fieri quid stipulans postea debitorem in actu executionis occupatum ad certam quandam solutionem sibi faciendam pro lubitu cogere, eumque nullo jure injuriæ accusare poterit, si diversis modis obligatione sua defungi voluerit. Qui vult finem vult etiam media ad eum finem ducentia. [*arg. L. 2. ff. P. de jurisd.*] Exinde consequitur, dum Seren. Reip. Proceres, percipere se, ut avulsa recuperarentur, Regi sat explicite in P. C. declararunt, eumque ad id exequendum elegerunt, modos quoque mediaque, quibus finis hic obtineri possit, prudentiæ Ejus eos concessisse. Expectare ergo Polonos decuisset, donec Rex officio suo defunctus promissa, quod quam citissime

fime

fime fieri voluit, impleffet. Bis enim dat, qui cito dat. Hanc in primis ob causam Rex multo minus obligatus erat mentem ac intentionem hanc publico ac solenni programme divulgare, cum vis efficaciaq; illius in secreto & occultatione ejus solum confisteret. Risisset quilibet ac Poloni potiori jure præ aliis hunc Regis procedendi modum reprehendere potuissent, si negotium hoc quod secretum esse debebat, propalasset propositumq; hoc tam egregiū ipse ita perdidisset. Absolvisset ne, eo casu Resp. Regem ab obligatione? Sane nullo modo. In præsens cum actiones illius quam generosæ ac sinceræ etiam fuerint, in reprobum sensum retorquantur, modusq; in scirpo quærat; quæ non glossata, criminationes ac reprehensiones tunc factæ fuissent? Nonne in omnibus tam Generalibus quam particularibus Comitibus in quibus etiam levissima Regum errata maxime attolli solent, occasionis tam bonæ neglectū exprobassent, clamantes? *Tuum erat Rex dispicere, quomodo fidem datam liberares:*

Neq; potest jus ac justitia suscepti hujus belli in dubium vocari ex hoc fundamento: Articulum quidem de recuperandis avulsis, cui Rex in P. C. se obstrinxit, firmo stare talo; Cum autem tantum præceptum affirmativum illud sit, aliusque in P. C. reperiat, qui Regem prohibeat, ne inscia Rep. bellum aliquod suscipiat, præceptum hoc negativum esse, quod si cum affirmativo concurrat, illud vincat adeò, ut si impletio præcepti affirmativi sine violatione negativi fieri nequeat, executio illius aut plane tali aut in tantum suspendi debeat, donec non amplius inter se discrepent. [Quintilianus declam. 374. *Plus potest unus, qui vetat, quam omnes, qui jubet.*]

Potest tamen hic scrupulus facile eximi, ob id quod negotium hoc ejus fuerit indolis, ut a Generali illa dispositione

P

ne

ne merito excipi debuerit, hac videlicet præcepti quod ob-  
 stare videbatur, negativi commoda interpretatione inter-  
 posita; Non licere Poloniarum Regi bellum inconsultis  
 regni ordinibus suscipere quando ex divulgatione consilii  
 bellici nihil rebus gerendis detrimenti infertur, nullum in  
 mora periculum, neque alia causa probabilis svadet, ut à  
 communi ac recepto consultandi modo recederetur. Hæc  
 omnia autem fuerunt in nostro, de quo agimus, casu. Er-  
 ga cessabit prædicta dispositio cum cessat ratio legis, atque  
 casus immutatus fuerit. Peccatum vel maximè fuisset in  
 leges prudentiæ rectoris sive æqui prudentiæ, si quis apices  
 legis nimis scrupulosa ac cæca obedientia servando optima  
 consilia promiscue propalasset. Præstabat prudenter ver-  
 ba legis, uti Rectores populorum moratiorum ubivis solent,  
 ac pro officio suo debent, ex lege illa generali fundamentali:  
*Salus populi suprema lex esto*, [Gret. ad Esther. C. 4, 16. add. Val.  
 Max. 3. c. 7. n. 1. c. 8. n. 6.] interpretari prout fecerunt hoc  
 in casu & Rex Serenissimus & Eminentissimus Poloniæ Pri-  
 mas. Quem agendi modum æqui rerum æstimatores sem-  
 per probarunt, in primis quando de dolo agentis Principis  
 non constat.

Atque hæc tam Principum inter se, quam illorum con-  
 tra subditos, aut privatorum contra privatos legitima agen-  
 di ratio juri naturæ gentium ac civili conformis est, ex qui-  
 bus Pacta conventa in Polonia interpretationem sortiri de-  
 bent. Quoniam enim eorum condiciones Procures regni  
 novo Regi electo præscribunt adeoque contra eos in dubio  
 sensu interpretatio fieri solet; Habent quod sibi imputent,  
 qui non apertius locuti. Si autem Regi libertas de mediis  
 promisso se liberandi sine novo consensu Reip. non conce-  
 denda fuisset, ea, quæ ex natura & indole dispositionis hujus  
 in

indefinitæ Serenissimæ Regiæ Majestati competebant, planis apertisq; verbis limitari debuissent. Pars enim contrahens, de cujus commodo agitur, conditiones ac ea quæ vult fieri, clare ac expresse, definire tenetur; secus si fecerit, parti adversæ jus est ad proprium bene placitum, modum obligatione se ex solvendi excogitare ac sequi. [Grot. de J. B. & P. L. III. c. XX. §. 26. L. Veteres D. de Pact. L. 99. D. de V. 6. L. 172. D. de Reg. Jur.] Ex quibus consequitur, Proceres Reip. Polonicæ nullo modo jus sibi arrogare posse, Pacta conventa ad proprium lubitum interpretandi, Regemque condemnandi quasi statuta Legesque Patriæ fundamentales violasset. Quot partes ad sancienda Pacta conventa, tot etiam ad ea interpretanda requiruntur. Quod si ergo Poloni prætexunt, se hoc vel illo modo pacta intellexisse, quid impedit, quo minus Rex respondere eodem, quo illi jure possit, se ea in alium sensum sibi utiliorem accepisse. Alium autem præter naturalem æquitatem ac gentium jura Judicem habere nequeunt. Ex quibus satis liquide evictum dedimus, Regem nullo dolo usum, nihil contra Reip. commoda aut leges Regni fundamentales fecisse, id quod æquanimorum bonorumq; omnium judicio dijudicandum committitur, dum Rex in conscientia recte factorum conquiescit, sibi que persuasissimum habet, neminem à studiis partium alienum rem aliter judicaturum, Regiq; eos effectus & beneficia Juris denegaturum, quibus etiam privatus ex capite negotii gesti aut arbitrio Tutelæ gaudet quiq; si non præmiis neq; tamen pœna quadam, etsi bona ejus intentio ex voto non successerit affici solet. Aliter cum Principe agere, & Regem etiam si limitatam regnandi potestatem habeat, deterioris ac privatum conditionis reddere velle quis unquam fando audivit? In primis quia secun-

dum dictamen Juris Gentium ea quæ etiam insciis statibus gesta, si probabili tantum ratione nitantur (quod in dubio semper sumitur) à populo nullo modo improbari vel irrita reddi possunt, nisi apertum injustitiæ crimen comittere aut jus Regium, consequenter autoritatem & dignitatem Regis imminuere vel plane adimere quis præsumserit. *Non enim exitus in hac re sed probatis, ratio rei, gerenda spectanda est.* Id circo Regem Poloniæ exercitio ac usu Jurium Majestatis prohibere volens, ex Rege Poloniæ Ducem Venetum facit, quem Itali Ducem vinctum & captivum appellant, quod vix aliquid possit sua autoritate, Sed ea tantum exequitur quæ senatus jussit. Quod revera Serenissimæ Reip. ac universæ inclytæ genti minus honorificum & gloriosum floret, ut Poloni de rationibus S. R. Majestatis ac causis moti contra Suecos belli probe edocti essent atq; animo à præconptis opinibus, quas malevoli nonnulli instillarunt, libero, hanc rem omnem considerarent, sic majori cum animi tranquillitate cognoscerent salutare toti Patriæ futurum, ut S. R. Majestas atque Ordines id quod fortasse ansam diffidentia inter eos præbuit, amicabiliter inter se componerent, nullo vero modo domesticas has lites censuræ conciliationique exterorum subjicerent, cum hujusmodi arbitri nunquam studium officiaque sua deferant, nisi in turbido piscari propriisque commodis veluti procuratores in rem suam inservire possint. Imminens igitur huic regno ac libertati Poloniæ exitium nullo meliori modo, quam mutua discordiarum ac dissensionum sublatione, pristinaque inter S. R. Majestatem ac Serenissimam Remp. fiducia reductione animorumque harmonia averti potest. Unica hæc sane & securior ratio est, communem felicitatem restaurandi, eos qui Poloniam in hac confusione tantoque rerum discrimine laboran-

laboran-



laborantem attoniti ac ægre respiciunt, erigendi, infidias vero & machinas vicinorum in id tanquam ex specula unice intendentium, qua ratione ex incommodis Reip. sua commoda, jure vel injuria, comparent, turbandi atque eludendi.

§. XLVI.

Sic nullius quoque momenti est, quod ajunt nonnulli, *consensum auctoritatemq; Reip. penitus ab hoc negotio exclusam fuisse*, quam tamen in gravissima hac causa expetere ac adhibere necesse fuisset, quod non de privati alicujus hominis, sed de summa totius Regni adeoque de re majoris momenti actum fuerit, ubi dispositiones juris circa negotiorum gestionem vel tutelam pupilli, ut in causis privatis Locum vix inveniunt.

*Quatenus Resp. in hoc bellum consenserit, ostenditur.*

Jam antea evicimus, tacitum Reip. Consensum de bello Suecis inferendo intervenisse, qui etiam consensus est, effectumque in omni jure sortitur cum taciti ac expressi eadem vis sit. Multo magis vero elucet Reip. consensum auctoritatem in hoc negotio intervenisse, quod S. R. Majestas fundamentum justitiamque hujus belli ex ipsis Conventis pactis deducat, quæ cum auctoritate consensuque totius Reip. inita, ac ab Ordinibus fere præscripta fuerint, summa itaque dicendi facultate præditum eum esse oportet qui vero similibus saltem ac probabilibus argumentis ostenderit, bellum in scia Rep. Suecis illatum esse. Dialecticorum axioma est: *Qui est causa Cause, idem est causa causati.* Quando igitur bellum hoc nullo alio quam pactis conventis nititur fundamento (aliud enim jus causamque hujus belli S. R. Majestas sibi non vindicat, nec imposterum sibi etiam arogabit) clare patet, fundamentum hujus belli in auctoritate ac consensu Reip. positum, adeo partem hanc essentialem, quæ Palladium

est libertatis Polonicæ, ejusque securitatis, nullo modo exclusam esse.

§. XLVII.

*Dum terra cælum media libratum tulit,*

*Elogium  
Regis ac  
procerum  
quorundam  
Poloniae.*

nunquam bene officium pejus inque magis ingratos homines collocatum; nunquam laudabile aliquod institutum atrocioribus exprobrationibus, injuriis, ac criminationibus in reprobum sensum detortum fuit quam heroicum hoc, quo S. R. Majestas sibi Serenissimam Remp. modo plane singulari, devincire intendit. In gratia maximum est vitium, Deo hominibusque adeo abominabile, ut ingratum si dixeris, omnia vitia dixeris; eoque atrocius evadit, quod à tota gente quadam in proprium Regem committitur. Gloriosissimus Rex Poloniae hanc hominum in hoc casu malitiam maximo cum dolore quidem sensit, generosum tamen quo præditus est, animum propterea non abiecit, bene memor, invidiam Virtutis perpetuam quidem esse comitem, non vero præmium recte gestorum penitus adimere posse. Si verum fateri licet, potissimi ex Polonis quidem regiis aucti beneficiis atque ornati hoc tempore admodum ingrati erga Regem reperiuntur, universus tamen Christianus orbis jam de totius causæ hujus connexionione informatus, Polonia major est, proindeque generalis exterarum, à studio partium alienarum gentium approbatio eo citius exiguam hanc invidorum ac depravati judicii hominum catervam superabit, quod multi adhuc in Polonia patriæ amantes reperiuntur, qui rectius de hoc negotio sentiunt. Laudes vero S. R. Majestatis tam splendidis dignisque elogiis in historiis memoriæ tradentur, ut eas nulla dies nec ad versariorum injuriæ ac mendacia sint vel obscuratura vel deletura. Et quamvis S. R. Majestas in hoc negotio infinitis propemodum incommodis, molestis detre-  
ctatio-

etationibus ac criminationibus subjecta, ea quæ bene ceperat, ad finem perducere impedita fuerit; Fama tamen quæ omnia tandem prodit, incorruptam se præstabit, nec per artes aut nummos Suecicos, qui proh! nimium hodie in Polonia dominantur atque prævalent, se in partes Pol. Calumniatorum pertrahi permittet, verum summis nunquam interituris laudibus gloriosissimas Herois nostri vitam ac res etsi novercante imo sæviente in eum fortuna gestas in cœlum extollet, eorumque memoriam merito ac condigno honore afficiet.

§. XLVIII.

E contrario posterius Polonorum hodie viventium, quam primum missilia in vulgus à Suecis hæctenus sparsa cessabunt, animique præconceptiones contra Regem suum diffidentia purgati erunt, oculos etsi nimis tarde aperient, intelligentque, Suecos una cum iis qui eorum partes in Polonia secuti sunt, præstigiis ac machinationibus suis nihil aliud intendisse, quam Ordines Poloniæ indiffidentia erga Regem confirmare eosque inter se tot ac tantis dissensionibus ac invidiosis contentionibus collidere, ut simultatibus tantum implicati ac furiosa invidia exardescentes umbram potius captent quam optimam hanc injurias vindicandi, Livoniæque recuperandi occasionem fronte capillatam arripiant, ipso veri Sueci arrepta ex his malis occasione excitatis Polonorum vitiis ad eos opprimendos feliciter utantur. Qui fontem & originem altercationum, odii livoris, æmulationis atque discordiarum in Polonia investigaverit, facile animadvertet, nugas & mera esse somnia, quidquid de infidiis libertati Patriæ structis de consiliis absolutum imperium in Poloniam introducendi aliisque rebus imaginariis & dictu absurdis in vulgus spargunt. Verum, Suecis solum aliis-

*Polonorum negligentia atq; torpendo unde?*

aliisque qui communia ex turbis motibusque Poloniae commoda trahunt, ac proinde toti Sarmatiae perpetuum vertiginis Spiritum imprecantur, hæc præclara inventa accepta ferimus.

Stupendum prorsus est, viros prudentes, quales in Ordine Senatorio & Equestri plures agnoscimus, rectis oculis hanc rem non intueri, neque eos qui ad clavum Reip. sedent, admonere, ut animo à præconceptis falsis opinionibus libero ac pacato, errorem, in quo esse videntur, agnoscant, expendantque, an prudenti Regi, cui Poloni regnum committere, unquam in mentem venire possit, formam Regiminis, abrogatis Legibus fundamentalibus, immutare? Fatua & Regi imprimis fatalia hæc consilia forent, cui vires non suppetunt tantæ molis opus unquam perficere, nisi forsam vexis malevolorum nimium exagitatus, & patientia nimis læsa, quæ tandem fit furor, ad desperationem, quæ sæpè pro fortitudine fuit, ac vires in extremis addidit, adigeretur, ut injurias cum suo & adversariorum exitio vindicare voverit.

Verum demus, Polonos denique, artibus Politicis in Regno adhibitis Tacito vel Machiavello duce, ubi Vulpina pellis non fatis est, leonina addita, paulatim potestati Regis illimitatæ subjici ac veterem Reip. formam in statum alium converti posse, quis eodem, quo hæc fierent, tempore, vicinis principibus papaver soporiferum dabit, ut illi, licet Poloniae alias infensissimi permitterent, tam validi regni Vires ac divitias ex arbitrio unius nullis legibus circumsepti despota pendere? Risu ergo hujusmodi battologiae explodendæ essent, quibus Polonos ad propria commoda susque deque habenda inducere conantur.

Verum

Verum dicet aliquis, bello hoc Suecis ita illato, etiamsi optima Regis erga Polonos intentio fuisset, illud à proceribus Regni animadversum esse, exemplo hoc in vim Legis tandem crescente, libertatem Legesque fundamentales Poloniae maximo novæ infractionis periculo expositum iri, quod sæpe ex minimis etiam factò initio maximarum rerum subvertantur argumenta. Quod inprimis fieri posset, si fortassis Rex alius olim eligendus, non eadem sinceritate ageret sed exemplo hoc tanquam velamento ad alia Reip. minus proficua agenda uteretur.

Verum enim vero, Prudentia ac majori moderatione in hoc casu, sicuti in aliis regnis fieri solet procedendum, bonum eligendum, ac in rem vertendum, e contrà malum, quod metuitur, saluberimis legibus ac constitutionibus latis quoad futura corrigendum fuisset. Inprimis non oportuit tam inconsulte ac præcipitanter omnia indiscriminatim atro lapillo notasse, compendiumque quod in manibus erat, neglexisse. Neque posterius unquam probaturi sint, quod si optimam hanc à Suecis, qui plus noxæ ac detrimenti, quam Turcæ vel Tartari unquam Sarmatiæ intulerunt, satisfactionem exigendi, occasionem elabi sinant, neque iis ungues leoninos circumcidant, ne tam facile recrescant ac propositum in alienis finibus grassandi omniaque diripendi resument. Qui enim vicinus semel Reip. nostræ nocuit, prudenter creditur, ubi occasio tulerit, adhuc nociturus; proinde vires ejus ita atterendæ ac debellandæ, ut etiamsi velit, non possit nobis in posterum nocere. De Polonis dici in hanc sententiam potuit: *Aut nunc aut nunquam.* Non tam facilem Regem iterum habebunt, qui tam benigne voluntatem suam erga Remp. declarabit, operamque suam & exercitus pro bono publico obtulit. Qui rem hanc penitus expendet,

Q

pendet,

pendet, nullius Consilii Reip. nocivi Regem accusabit, et si non defuerint, qui sincerum illius ac generosum agendi modum variis convitiis ac calumniis, quibus ne ipsa quidem virtus elabi potest, impetere non dubitarint.

Si denique Polonis tam noxio torpore sopitis adeoque furdis hæc omnia narrantur, posteris sine dubio vindictam in illos exclamabunt. Quamdiu etiam Livonorum aliquis supererit, laudabilem. S. R. Majestatis intentionem de prædicabit, Polonos vero clamantis in cælum iniustitiæ accusabit, quod se exorari passi non fuerint, ad fratres ex fauce Tyrannidis eripiendos, sed potius hanc liberam gentem præter officium, fidem ac conscientiam in servitutem semper duraturam relinquere voluerint. Est Polonis alias semper familiaris illa in ore vox *Libertatis* hujusque fortissimi assertores audire cupiunt. Utinam illud hoc in casibus ipsis ostenderent, confidarentque quam infamiam sibi inurant, quod fratres Livonos, liberam gentem, in feno nominis Polonici hosti in servitutem non solum vendiderint, sed & illorum vincula ac compedes postea, cum ad eos solvendos optima ac satis blandiens affulset occasio, spretis omnibus afflictorum precibus ac querelis, magis magisque confirmare arctiusque constringere studeant: Inducere sibi in animum deberent, supremum vindicem eadem eos poena afficere & in filiis iniquitates parentum punire posse.

### § XLIX.

*Alia calumnia refelluntur.*

Quidquid præterea malevolus ille calumniator homo mendacissimus ad fugillandam Regis famam, nulla vel decoris vel veritatis habita ratione, ausu prorsus temerario protrudit, in primis, Regem sibi aliquando proposuisse, totum Regni Exercitum interimere, aliaque quæ tam incon-

sultè

sultè ac præcipitanter de Civitatibus Elbinga atque Thoru-  
nio fingit; ea omnia, pro commentis ac calumniis falsiffi-  
mis habentur, omnes vero illi qui S. R. Majestatem Poloniæ  
consilii tam fraudulentæ quodque Polonorum libertati un-  
quam infidias struxerit, accusant, tamdiu pro malignis,  
mendacibus sycophantis, calumniatoribus, quisquiliis fa-  
ctionis Suevicæ, ac læsæ Majestatis reis habentur, usque  
dum res has melius quam nudis, quæ pater mendaciorum  
suggerit, verbis probaverint. Quæ in re semper ipsis aqua  
hærebit. Finis harum calumniarum jam antè satis super-  
que detectus est. Scilicet habuerunt semper Sueci nonnullos,  
qui diffidia imo & vitia in toga & sago Polonorum excita-  
runt, quæ postea in exercitus sui gloriam & commoda feli-  
citer convertere optime semper sciverunt secundum illud:  
*Divide & impera.* Quia vero nullum simulatum diuturnum,  
malæ in primis artes ac doli raro diu perdurare solent, sic &  
hic brevi finem habebunt, præmiumque inventionis in au-  
torum capita tardius ocyus retundetur.

§. L.

Rege ita ab omnibus accusationibus hætenus satis de-  
feso, in primis Leges Regni Poloniæ fundamentales per  
bellum hoc Sueciæ illatum minimè violatas esse. Suevicæ  
causæ Patrono facillimò, ad gravamen illud, quasi S. R. Ma-  
jestas Poloniæ bellum hoc solenni Indictione ac Clarigatione  
non prævia, adeoque præter jus inceperit responderi potest.  
Ex factis in *Justis vindiciis* enarratis satis videre est, quod vici-  
bus Sueci Pacem in cœnobio Olivenfi conclusam violave-  
rint, adeoque omnibus beneficiis inde provenientius in-  
dignos se reddiderint. In primis ibi ad art. 10. deductum  
est quod nos fusius §. 56. hujus scripti examinabimus, Sue-  
cos primo instructis navibus bellicis adeoque vi & vi arma-

*Denuncia-  
tione belli  
contra Sue-  
cos opus  
fuit.*

ta manu cepisse, adeoque hostilia quævis commisisse. Naturali autem jure ab eo qui vim illatam arcet, solennia hæc indictionis aut denunciationis belli non exiguntur, cum ille qui primo Jura amicæ vicinitatis violat, aliumque aggreditur, in tantum bellum jam declaravit, suoque exemplo vicinum docuit, quomodo vicissim contra eum procedere debeat, ut minime necesse sit, bellum aggressori indicere, qui parti læsæ libertatem simul concedere censetur se quocunque modo tuendi ac injuriam ulciscendi. [Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 3. §. 6.] Hinc omni gentium jure bellum ab altera parte indictum vel inflictum inceptumque esse sufficit. Præterea Sueci perpendere deberent, an ab iis formalia hæc semper contra vicinos, præcipuè Daniæ, Poloniæ ac Prussiæ Reges, servata fuerint. Fortassis in memoriam revocabunt, non tam facile æternam Pacem vel inducias factas, quam à Suecis ruptas esse. Igitur cum tam olim sæpissimè, quam nunc per invasionem navium Suecis sine solenni Indictione hostilia quævis in amicos committere non fuit Religio, quare Polonis defensionem sui contra aggredientem vicinum eadem ratione suscipere ac sustinere non liceret? Naturali quippe æquitati convenit, eadem mensura qua acceptum est, reddere, ne aggressor pluribus majoribusque beneficiis Juris Gentium utatur, quam ille vicinis suis concesserit, quin potius eodem jure, quod ille in alios statuerit utatur.

*Suspecta  
est Polonis  
blanda Sve-  
corum hu-  
manitas, e-  
orumque ver-  
ba, facilis  
contraria.*

§. LI.

Quod denique auctor noster queritur, in scripto nomine Regis Poloniæ edito, gentem illam contra Svecos, nimium congestis gravaminibus, exstimulatam atque exacerbata esse, sane non opus fuit pluribus hac de re agere, & verba operose conquirere ad demonstrandum quo Sveio-  
nes

nes



nes in Polonos sint animo; satis in hanc sententiam loquuntur funera, quæ omnium oculis incurrunt, ædium, urbium fanorum ac oppidorum, ad quæ olim Sveci pervenerunt, ut copiosior oratio supervacanea esse videatur, ad significandum, quis hæc tam egregia sinceræ vicinitatis monumenta in Patria erexerit. Proinde prudentes Patriamque amantes Poloni, Mercurio Svecico nondum infecti qui bene norunt *quid distent æra lupinis* non sine cachinno sinceras istas Svecorum admonitiones: ne videlicet Poloni Regem suum Potentissimum irritent, excipere possunt; in primis cum eo tempore fiant, quo Lupus Svecicus ovilia Polonica suffodit, nihilque amplius, quam occasionem expetit, Regno Poloniæ alias adhuc Provincias eripiendi. Has sibi summo jure debere existimant, pro patrocinio libertati Poloniæ præstito. Quod olim cum Moscicis ipsis feliciter obtigit, quando pro præstita in componendis (dicam potius augendis) internis disidiis opera, impensoque labore binas provincias, Ingriam & Careliam, Moscicis eripuerunt easque adhuc hodie usurparent, nisi modernus Russorum Imperator, quod fuit ante suum, victricibus armis vindicaret. Verum in eo consistunt antiquæ Svecorum artes liberales, quod non facile ignem in ædibus vicinorum extinguant aut rei alienæ ad se non pertinenti immiscere soleant, nisi lucrum exinde captent. Omnium optime Germani etiam id norunt, qui Svecicum Patrocinium pro libertate Germanica præstitum optimis provinciis magnisque pecuniæ sumptibus redimere, Pacemque Osnabrugensem nolentes, volentes inire debere. Alia graviora prætereo onera & incommoda, quæ adhuc hodie Germania extutela Svecorum sentit, quorum Memoria nulla dies oblitterabit. Hoc interea Svecis lucrum accedit, ut aliorum sumptibus semper vivere ac alienis

Q 3

plumis

plumis vestiti ac variegati superbire possint. Quod si vero vicini, concursu veluti Creditorum instituto, pennas illi evellere, nec non *liquidationem* similem ei, qua miserimi hominns, qui sub Svecico dominatu degunt, ex arce Holmiensi haectenus deplumati ac ad incitas fere redacti sunt, urgere vellent, Svecia certe in Theatro Europæ tanti non fieret, prout ex eo tempore tantis ac quisitionibus aucta, & potentia & autoritate passim crevit & invaluit. Falluntur Poloni, quando existimant, Regis Sveciæ dum in venas & viscera Regni cum exercitu penetrat, intentionem esse, Regem Poloniae solum persequendi, & ab eo satisfactionem exigendi, utpote qui rebus suis melius satagere videtur, quam ut vanæ gloriæ causa, quam ex vindicta à Rege Pol. sumta sperare posset exercitum ac vires suas atterere, totque devoratis molestiis tanti periculi pœnas subire voluerit. Quidquid enim de dethronisatione Regis Poloniae crepant Sveci, ac plenis buccis & calamis invulgus spargunt, dolosæ minæ sunt ac phalerata artificia, quibus credulorum in Polonia oculos fascinare, illosque eo ductare ac seducere conantur, ut iis conniuentibus ac securis redditis, quasi de eorum corio non luderetur, noxam quam Mosci ab an. 1701. (jam per quatuor annos continuos) in Livoniam intulerunt, ex Polonia cum fænore refarciant. Sic Medicos imitari videntur, qui visu vel gustu ægro non acceptum condire & colorare solent. Videbimus enim brevi, quæ sub vulpina Polonis haectenus blandiente, leonina lateat pellis, cum Sveci de antiquo suo in Livoniam jure, quod noviter effossum dicitur, modo musitare partemque reliquam Livoniæ, quæ Polonici juris est, ac Curlandiam appetere incipiant. Quare Poloni velut in speculo propria sua exempla contemplari, atque ex eis, quæ olim cum Svecis acta, recordari deberent,

berent,

berent, quam periculosum fit, se simpliciter advocatiæ ac patrociniò Svecorum pro Conservatione Libertatis avitæ confidere ac lupo ovem custodiendam committere. Sane Jure civili inter privatos malus ille & iniquus tutor censetur, qui seipsum ingerit, & cautum est, ut tales tanquam suspecti à tutela removeantur. *L. 22. D. de tutor. & curat.*

§. LIII.

Hunc in finem Antiquum illud à Svecicæ Causæ Patro- *Examina-*  
no, licet paulo demissius, nec verbis nimis arrogantibus *tnr Jus an-*  
deductum in Livoniam jus paulo altius examinabimus, ut *tiquum,*  
videant Poloni, Svecos sibi viam ad majores mox progres- *quod Sveci*  
sus faciendos parare. Ex quo Poloni id documentum sibi *in Livoni-*  
capere ac tempestive ex gremio Svecorum discedere atque *am & Cur-*  
expendere deberent, amicum illum ac Polonicæ Libertatis. *landiam*  
Protectorem (ut stupente toto terrarum orbe, hodie in Po- *habere*  
lonia nuncupatur) brevi jus advocatiæ ita facile extensu- *caussantur*  
rum, ut clientibus nimis durum sit futurum.

Qui hætenus inclaruerunt, rerum historicarum scrip-  
tores, in investigatione historiæ Livonicæ, ne fides illo-  
rum vacillaret, ac sublesta fieret, à Seculo XII. eam incipi-  
unt, illudque quod antea conscriptum, dubiæ ac incerto esse  
fidei existimant. Hic novus scriptor vero se altius exten-  
dit, atque historiæ Livoniæ beneficio ac autoritate Cele-  
brium quorundam ex classe obscurorum virorum dedu-  
cens, immemoriale jus in Livoniam Svecis adscribere co-  
natur. Mirum est, quare Jus illud ad tempora usque præ-  
Adamitarum, aut quando communio rerum adhuc viguit,  
non reposuerit. Eidem dedit, se ex penu profundæ erudi-  
tionis suæ, tractatum de antiquo Suionum in Livoniam Im-  
perio publici juris facturum. Non turbabimus tam lauda-  
biles conatus, hoc collyrium tamen præparabitur lippis o-  
culis

culis ejus illiniendum, ut suo tempore videre possit, fimiles fabulas à mendaciis parum discrepare. In antecessum illud habeat, rationem quam allegat, quasi sub Coris aut Curlandia (quæ tamen eo tempore Insula esse debuit, ac Suecorum industria sine dubio terræ firmæ annexa fuit, Livonia comprehensa fuisset, valde suspectam, imo ineptam ac frivolem esse. Pro certo ac vero habet, Curlandiam antiquam Sueciæ provinciam fuisse, cum autem eo tempore tantæ magnitudinis fuerit, ut octo dierum itinere ad eam percurrendam opus fuerit, Livoniam ad Curlandos spectasse concludit. Producet fortassis (Imo) antiqua Suecorum documenta, ex quibus testatum faciet, equos cursorios tunc momodo usu receptos fuisse ac regiones tam cito itinere, uti hodiernum, peragrari potuisse. (2do) Ex Chartis Postarum viam monstrabit, octiduanum illud iter infallibiliter à meridie ad septentrionem, non vero à Septentrione ad meridiem institutum, adeoq; in via illa necessario Livoniam comprehensam fuisse. (3tio) Etiam probabit per illud iter tractum illum ab Occassu ad Orientem se a mari Balthico ad fines Lithuaniae prope ad Dunam non intelligi. Sic facile credo non paucos reperiri, qui Autori ad sumtus impressionis tam egregii Scripti faciendos, ex quo fundamenta aliarum Sueciæ prætensionum depromi potuerunt, pecuniæ quadam summa sublevarent. Interim illud jam constat, Suecos antiquius in Curlandiam quam in Livoniam jus formare, illudque præcipuè, urgere hoc autem per consequens uti accessorium utpote quod ipsis satis certum videtur deducere, potius vero & antiquius sibi jus in Livoniam & Curlandiam, quam Poloni Equitesque ordinis Teutonici unquam habuere, vendicare, eosque jus in Livonis non in pace Olivenfi ut Poloni ac omnes alii hæctenus credidere, fundare,

dare,

dare, imo Livoniam illam quæ Reip. Polonorum adhuc paret, ac Curlandiam ad se pertinere. Si igitur Livonia sub Curlandia comprehendi debet, eo quod olim, uti dictum, tantæ magnitudinis fuit, ut spatium demum octo dierum percurri potuerit certe iter hoc mox ex septentrione ad meridiem deducetur, ut Samogitia quoque eadem maxime stringente ratione Polonis eripiatur, ac Suecis adjudicetur. Eadem opera & ratione fortassis etiam iter illud aliquando ex Euro aquilone ad libatotum in Prussiam fiet ut eadem ratione Regi Prussiæ Provincia aliqua detrahi possit; Tandem ut octiduanum illud iter latius extendatur, produci poterunt noviter inventæ vel potius noviter factæ, fictæque ac in membrana pergamena scripta documenta, antiquitatem præ se ferentia, ex quibus probabitur, equos veloces quibus Angli ad cursum utuntur, in usu fuisse quibus spatium octidui iter Majorem Lithuaniam & Prussiæ partem confici potuit, sic ex in proviso in septentrione Camera Reunionis exsurgat quæ non minus artificiosa, Regnoque Sueciæ proficua erit, ac illæ quæ Brisaci & Metio à Rege Galliarum institutæ fuerunt.

Tunc demum Poloni suo damno experientur, quod, postquam cessa Livonia insolenti ac insatiabili Suecorum aviditati satisfacisse se putarunt, optimi illi libertatis Polonicæ tutores ac protectores honorarium exiguum nimis putabunt etsi Poloni Livoniam suam, Curlandiam ac Samogitiam offerre voluerint. Ad vigilandum quoque in posterum ac provide cavendum erit Prussiæ atque Serenissimæ Reip. Polonicæ, ne Suecorum prætensiones ultra fluvium *Niemon* excurrant, aliaque nova inventa excludantur, quæ Cancris instar longe lateque serptura sunt, ni reprimantur, vel tempestive rescentur. Hujusmodi enim vicinum Po-

R

lonia,

lonia, quæ provincias perdere quam recuperare mavult, nacta est qui omnia quæ in potestate ac manus ejus sunt, eripere paratus est.

Atque hi erunt diffidentia, quam Poloni contra Regem suum se inculcari hætenus passi sunt, fructus. Umbram metuentes non observarunt, Dæmonem Suecicum se in Angelum lucis effingere posse, ejusque fistulam dulce canere, dum volucres decipere reteque vicino positum attrahere cupit.

§. LIII.

*Jus illud  
Suecorum  
quod anti-  
quum in  
Livonos &  
Curlandos  
jactatur,  
refellitur.*

Historias perlustrans invenit antiquioribus, inprimis, Ethnicorum temporibus, quibus Regulæ Juris & justitiæ nondum innotuerant, vel minus strictè servabantur, sæpius populos aliena territoria invasisse, aliquamdiu possedisse, atque ea ut acquisita erant, iterum amississe. Idem veteribus Livoniæ incolis obtigit, qui mox illi, mox alii subjecti fuere, Prussis, Danis, Moscis, Suecis imo & Italis provinciam eam tenentibus. Invasio igitur hæc solitum in Livoniam jus fundare, illiusq; possessio effectum producere nequit, inprimis cum illius probatio ab immemorabili tempore petatur, cui vix habenda fides. Prætensionum harum architectus, ut fabricam firmiter sustentet non erubescit, etiam Equites Tevtonici Ordinis tanquam usurpatores harum regionum notare, cum ad propagandam fidem Christianam eas sibi subjugaverint, quod justa acquirendi causa ac fundamentum auctori non videtur. Verum quæramus ex eo, an solum ampliandi regni, proferendique imperii ac aliena quæ ab aliis ad hoc possidentur attrectandi desiderium, ac terrarum divitiarumque cupido, adeoque finis mere secularis majorem in se contineat æquitatem, quam

quam propagandæ religionis studium quod penes Equitates Ordinis Teutonici fuit; Fortassis illorum propositum majorem tam in foro soli quam Poli applausum ac favorem meretur, cum invalescente eorum imperio in his Regionibus Lux Evangelii exorta fit, ab eoq; tempore usq; in hodiernum diem perduraverit. Non autem videre licet fructum quem omnes migrationes ac invasiones Suecicæ in alienas terras incolis procrearunt nisi, quod ex divitibus pauperes facti Sacræ pariter ac profanæ ædes imo & integræ urbes aratrum passæ ac magis dirutæ depopulatæq; quam ædificatæ fuerint. Jus igitur Teutonici Ordinis Equitum meliori niti fundamento, ac majorem æquitatem præ se ferre videtur, quam prætensum illud Suecorum antiquum jus, quod neque bonam fidem, neque justum titulum neque continuam firmamque possessionem, quæ ad asserendum imperium etiam secundum Juris Gentium dictamen necessario requiritur pro fundamento habet, nisi quis ex invasione violenta ac possessione brevissimi temporis quam momentaneam aut desultoriam vocamus jus aliquod deducere voluerit. [Grot. lib. 3. cap. VI. §. 4.] Quod si obtineret, ac locum inter gentes inveniret, quot frivolas prætensiones, quot inextricabilis lites produci, quot bella fieri, quot Regna ac Provinciæ justis Dominis eripi, quot inauditas rerum ac terrarum divisiones institui, ac rerum publicarum everfiones fieri videres? Verum posito, non tamen concessio, Sueciæ antiquum in has provincias jus fuisse, quærere liceret, quem scrupulum quoque novus hic Columbus in vastis suis speculationibus sibi ipsi movit: Annon diuturnitas temporis, quo Suecia possessione excidit ac mutationes, quibus hæ provinciæ, postea obnoxia fuerunt, prætensum hoc, etsi revera nulla ejus controversia esset, jus

variaverint? Respondet quidem, hæc solum inter privatos, qui sub legibus civilibus vivunt, procedere; Nullum autem inter diversas gentes ac nationes, quæ nemini parent ac de regno aliquo litigant, effectum habere. Verum majus sibi ipsi in hac quæstione decidenda lumen accendet, quando attentius ea quæ Grot. in Lib. 3. cap. IV. de J. B. & P. & Pufend. de J. N. Lib. IV. cap. XII. in hanc sententiam literis consignarunt, legerit, eorumque argumenta æqua judicii lance trutinaverit quibus illi extincto huic Juri fundamenta ex J. N. & G. non denegant. In hac ergo tam clara juris quæstione enucleanda majori opera adhibita circumspicere deberet, a non Suecicus aliquis Sycophanta nonnulla ad rem facientia plausibilibus argumentis in sequentibus factis invenire ac pro juvanda Suecorum sententia detorquere possit. 1.) Quod Episcopi Teutonicique Ordinis Magistri provincias has sibi asseruerint, easque ut proprias firma ac stabili possessione multis Seculis quiete tenuerint. 2.) Quod Reges Daniæ dominium pro parte in illis habuerint, Postea vero. 3.) Hæ provinciæ status S. R. Imperii factæ sint, votumque ac sessionem in Comitibus Imperii Germanici acceperint, ac eis usi fuerint. Denique 4.) in potestatem Polonorum pervenerint. Contra quæ Sueci nunquam legitime protestati sunt, ut jus suum sibi reservantes novum possessorem interpellarent, eumque in mala fide ponerent, adeoque nihil eorum quæ aliquo modo præsumptionem hanc, eos provincias illas pro derelicti habuisse, excluderent, fecere. Quoniam vero olim ad invasiones suas justificandas omnem lapidem semper moverunt, nec quidquã, quod ad rem quocunvis modo facere poterat, in mediũ, relinquere neq; vero hoc in casu idem olim fecere, quod jam facere instituunt, de falsitate hujus inventi suspi-

cio



cio merito suboritur, ut credere liceat, antiquum hoc Suionum in Livoniam & Curlandiam jus curiosi cujusdam Observationum artificis Holmiensis partum, ac in obsoleto quodam fabularum Æsopi exemplari loco appendicis noviter repertum esse.

§. LIV.

Cum autem prædicta argumenta ipsi auctori suspecta *Quid juris Sveci in Livonia habuerint, finito Magistrorum Ordinis imperio.* visa sint, nugasque suas abunde refelli, & quasi uno spiritu diffulari videat, jus illud ex eo, quod labente jam imperio Teutonici Ordinis accidit, defendere nititur. Quare ad factam aliquam à Cæsare Carolo V. translationem in Svecos provocat, putatque, cum Sec. XVI. Moscorum Imperator magna vi hanc provinciam invasisset, Cæsarque ei resistere non posset, eum hanc provinciam in Svecos transtulisse, eo quidem effectu, ut ordines Livoniæ huic Imperiali dispositioni simpliciter si facta fuisset, parere necesse habuerint, adeoque ea, quæ postea anno in primis 1561. cum Polonis acta sunt, irrita ac nullius valoris esse debeant.

Errorem vero hunc facile, eximere poterit auctor, si bene capere vellet, quam falso conditiones Cæsarei rescripti in medium agmen producat. Sciat ergo Livonis eo tempore auxilium petentibus Cæsaris epistola quam diploma vocant illis nil expresse præscriptum, sed Statibus Solum electionem datam, cujus vicini Principis auxilium implorare velint sic Livonia non simpliciter in Svecos translata, potius Ex ipso diplomate videre licet, non factam fuisse cessionem, sed consilium tantum datum esse, cujus nulla est obligatio, quodque necessitatem parendi & vim obligandi nullam habet. Neque Historia Christiani Kelchy, ante hos VIII. circiter annos, cum privilegio S.R. Majestatis Svecicæ, factaque à Svecici archivi custodibus sive cancellariis

revisiōe, impressa, cum sententia Autores nostri, Parte III. p. m. 224. quod Cæsaream hanc Cessionem attinet, convenit. Neque credendum est, Viros in tam illustri Collegio adfessores facta ad mandatum Regis historiæ hujus censura, locum hunc Coronæ Svecicæ tam proficuum ac utilem intactum, incorrectum aut perperam scriptum reliquisse.

Verum demus, Carolum V. absolutam Livoniæ in Svecis cessionem fecisse, aperte tamen ea nulla ac irrita fuisset, cum secundum proprium adversarii testimonium, ex instituto Juris Gentium ac Naturalis, obsequium subditorum cum defensione Magistratus adeo reciprocet, ut uno sublato, alterum quoque tolli necesse sit. Cum autem Cæsar præsidium suum Livoniæ Statibus abnegaret, vel eos adversus ingruentem vim hostis tueri non posset, ejus Imperium quoque cessavit, neque illi, ex natura omnium civilium societatum, tenebantur cessionihuius, licet prædicto modo facta fuisset, stare, quin potius illimitatum jus vel se ipsos defendendi novamque apud se Regiminis formam introducendi, aut ad lubitum aliunde sibi Dominum vel tutorem eligendi adeptos eos esse censendum. Præter fas ergo ultimus in Livonia Magister Ordinis Ketlerus, & qui eum secuti, ab Autore nostro accusantur, quod se Anno 1661. Poloniæ subjecerint, potiori jure pro nullo atque irrito declarari posset, quod Esthones per Svecicos Emissarios ac infidias elusa aliam viam inierint. Imperatore enim ac Romano Imperio Dominiū in Livoniam abdicantibus, verum quidem est, in forma hujus civitatis inmutacionem factā, non autem in essentiali aliqua parte ut autor vult, qua totum systema reip. aut regiminis mutari tollique potuisset; sed in accidentalibus hoc accidit, præeminenti ac supremo  
tantum

tantum Romani Imperii Dominio deleto, aliis Reip. partibus integris servatis, adeo ut status hic, qui ante accessionem ad Romanum Imperium, status fuit, post illius destructionem in esse suo manere potuerit. Nullo ergo jure Provincia Esthonia, quæ sui juris non fuit, se Suecis subjecit, ac à parte potiori decessit. Quam ob causam in superioribus bellis Poloni Suecos uti illegitimos Esthoniæ possessores atque usurpatores optimo jure interpellarunt, ac Jus illud profecuti sunt, nunc vero ubi Sveci omnium ex pace Olivenfi provenientium beneficiorum se indignos reddere, cum effectu id persequi possunt. Quamvis autem Sveci durante olim bello Coronæ Polonicæ nihil juris in Esthoniæ concedere voluerint, in Pacis tamen Olivenfis tractatu, illis hoc competiisse fateri debuerunt ubi Poloni Art. IV. §. I. dictæ Pacis suum in Esthoniæ Jus cedere debuerunt. Quam cessionem non opus fuisset à Svecia stipulari, si Polonia nihil juris habuisset. Non entis enim nullæ sunt qualitates, nullæ affectiones, privatioque sive cessio necessario præsupponit habitum.

Pari successu tractatio Esthonorum cum Suecia probatur ex eo quod Ordinis Teutonici Magister ac Poloni frangendis Moscorum viribus non suffecerint, hinc Esthonos de propria salute solliciti Suecorum se Regi subicere potuisse. Ex historia Livonica apparet, proprias hujus Provinciæ vires tantas fuisse, ut solæ potentia Moscoviticæ, ejusque etsi validissimis exercitibus resistere potuerit, insignesque aliquando victorias reportaverit. Quæ vires licet internis eo tempore exortis diffidiis atque simultatibus infirmatæ ac labefactatæ sint, facile tamen per imminens periculum ad priorem potentiam, reparatis viribus, excreiscere factaque cum Polonis armorum conjunctione Provinciam suam conservare potuissent.

Quan-

Quando vero Sueci Livonicis his rebus se immiscebant nec exiguam illius terræ partem occupassent, Ordinis Magister ad extrema redactus, conditiones, quas potuit, cum Polonis, antequam alii Status per Sueciam seducti Esthonorum exemplum sequerentur, inire debuit.

Prætendit equidem Autor, totum Reip. Livonicæ corpus prius divisum ac dissipatum fuisse, cum Dux ac Princeps ejus, ejurata ordinis Teutonici regula, desierit esse Magister ejusdem & Magistratus, adeoque Livoniæ æque legitimum, jus fuisse, se Suecis, quã fuit Oesaliæ Episcopatuque Pilteni Danis, reliquæque Parti, Polonis se dedendi. In qua facti narratione, series historiæ plane falsa ac mendosa est. Ita enim se res habet: Dux sive Magister Ordinis nunquam Esthoniæ, bene vero Esthonia Ducem dereliquit. Suecicus cum Esthoni tractatus Anno 1561. 4to Junii, ut Autor ipse *sub lit. O.* scribit, modo conclusus fuit. [Vid. Collect. Liv. n. 2. Chytræus Hist. ad annum 1561.] Dux vero 28to Novembris demum cum Polonia convenit, ubi tamen suo in Esthoniæ Juri minime renunciavit, sed è contrario duabus vicibus usurpatores Esthones interpellans eos vindicare cepit. Sine omni dubio igitur Suecorum in rebus Livonicis interventus ad interitum illius provinciæ fatalis exstitit, cum Dux statusque reliqui multo meliores cum Polonis conditiones inire, remque eo perducere potuissent, ut eodem jure privilegiisque Regno Poloniæ, quibus olim Imperio Romano fuerunt, addictæ fuissent.

§. LV.

*Ipsi Sueci non improbant Livoniarum contra tyrannidis excutiendi*

Porro Sueci suum in Livoniam jus confirmari putant ex eo, quod Livoni eo tempore misere ac indignis modis à Polonis oppressi, ut Jugum excuterent auxilium Suecorum juste imploraverint, Sueci vero eorum patrocinium  
justis

justis ex causis susceperint, atque ita ex capite Tyrannide oppressos liberandi validum in Livoniam jus adepti fuerint. Hic dicere jam vere licet, Suecos proprio se jugulare gladio, atq; sibi ipsis sententiam dicere, ex quibus nos vero utilia deducere ac ad scopum nostrum applicare possumus. Scilicet ipsi tandem Sueci omnibus illis, quæ de Livonis sub Suecorum Dominatione crudeliter afflictis supra §. 32. pluribus & juris & facti deductionibus demonstravimus, assentiuntur, inviti veritatem uti Caiphas olim, loquuntur, ac judiciali huic sententiæ: *Quod quisq; juris alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*, se subjiciunt. Si enim Sueci oppressis eo tempore à Polonia Livonis subveniendi eorumque cervices à servitutis jugo, quo premebantur, liberandi jus habuerunt, & quidem ex hac sola ratione, quod ex communi hominum cognatione homo hominem ab injuria defendere teneatur, Poloni ex eodem fundamento ac potiori Jure adversus Suecos idem agere possunt, specialibus insuper atque arctissimis obligationibus, pactis nimirum expressis, eis obstricti, quale jus Sueci eo tempore nunquam habuere. Nihil ergo impedit, quo minus Poloni justissimis ex causis Livoniam jure postliminii recuperare possint cum omnia mala olim à Suecis admessa abrogata velint, Livonisque sanctissimam bonorum ac privilegiorum conservationem per supra *lit. I.* allegatas subjectionis futuræ conditiones promittant, omnique metu eos in libero jurium suorum exercitio turbandi illis eximant.

§. LVI.

Non necesse est, prolixo catalogo illatas Serenissimæ <sup>Blanditiæ ac Suecorum suaviloquia</sup> Domui Curlandicæ à Suecis injurias, continuasque jurium <sup>Polonis in-</sup> ac privilegiorum Curlandorum imminutiones exponere. <sup>festam</sup> Tam notoria hæc omnia sunt, ut nec commemoratione ne-  
S
dum

dum probatione egeant. Gravissimæ desuper querelæ jam tempore Regis Joh. III. gloriosissimæ memoriæ motæ, commissarii postea delecti, splendidæ ad Regem Sueciæ legationes, multis impensis factis, à Serenissima hac domo missæ sunt. Ex his gravaminibus, si unum tantum in medium producere ac investigare velimus negari non potest, Suecos invadendo Principis hujus naves primum pacem Olivensem violasse, Regem vero Poloniae solum vim vi propulsasse, sic ut Sueci, non vero Poloni aggressores in hoc bello haberi debeant. Factum hoc in se non negant Sueci, & cum eorum causæ Patronus ei non contradicat, verens ne mendacii, rei quæ; sic nec aliter gestæ publice convincatur, in id incumbit, ut solida veritas Advocatorum fallaciis Adversarium à vero controversiæ scopo in devium seducere, adeoque putridam causam velamento quodam obtegere possit. Quæstio hic de spolio commisso est; ille vero malæ conscientiæ impulsu, aliena tractans, in petitorium incidit, amplissimisque commentis, absolutam soli coronæ Suecicæ in sinu Livonicico competentem, potestatem adstruere nititur ac denique sequentem in modum concludit: Fundato sc. Suecorum in Curlandos jure, eos hostilia hæc committendo, suo jure usos fuisse, eoque se facile defendere posse, quod nemini injuriam facere videatur, qui jure suo utitur. Verum aperta hic subest fallacia, petitioque principii. Quod enim pro vero venditat, ac pro indubitato supponit, controversum adhuc imo plane falsum reperitur, prout loco & tempore competenti (jam enim judicium petitorium instituere non vacat) ut olim inter partes factum publico imposterum exponetur. In eo autem cardo quæstionis potissimum versatur: Vtrum Sueci, an Poloni post pacem Olivensem inceperint hostilia committere, quis ita pacem hanc violaverit,

ac

ac pro aggressore & auctore belli hujus censendus fit? Etsi enim Suecis, quod pernegatur, injuria quadam provocatis, jus fuisset, ea quæ diximus, faciendi, modus tamen procedendi injustissimus ac violentus erat, reclamante in primis *capite 35. §. 2. Pacis Oliv.* ex cujus sancitu Suecis, lite ac controversia amicabiliter non composita, primam, qua præscripta est, Instantiam, Serenissimos Pacificationis illius sponsores compellendi, saltu tam præcipiti facto, præterire ac statim ad hostilia proruerere non licuit. Verum qui nullis legibus vivere, nullis pactis stare ad sulti erant, his omnibus spretis, armatâ manu fines Regi Poloniæ, nulla nec injuriæ illatæ nec belli inferendi declaratione, facta, improvise, & ex insidiis invadere, Polonisque, uti diximus, alibi occupatis, & ad commodius rei gerendæ tempus novas has Suecorum injurias dissimulantibus, apertam vim eamque armatam inferre non dubitarunt. Proinde quæritur: An Poloni defensionis Jure vim armatam vi repellere potuerint, aut gradus, quas Sueci neglexerant, nihilominus observare debuerint? Æqui cordatique omnes pro Polonis pronuntiant, ac ea quæ in Livonia gesserunt, non culpabunt ex d. art. Pacis edocti, quod solum injuriæ sine vi illatæ armata manu vindicari prohibeantur, quod aperte illum inducit sensum, ut parte una alteram armis agrediente, libertas Naturalis seu potius Jus quod natura concedit, vim vi propulsandi, nec prohibitum, nec circumscriptum sit, verum libere eo quis uti possit.

Ex quibus liquet, quam perperam, ac calumniose Sueci in plurimis ad exteras Principum aulas missis scriptis aliisque famosis libellis proferre non erubescunt, Regem Poloniæ, ut exosum eum reddant, aggressorem pactorumque

Olivenfium, ac violatæ pacis reum effe; Quibus regeri potest, quod Thucidites ait: *Pacem rumpunt, non qui vim vi arcent, sed qui priores vim inferunt.* Quos ipsi Sueci expressos in Pace oliv. gradus ostendendo non observarunt, a Polonis, dum defensionis student, exigunt: Quasi præ aliis privilegiū illis concessum esset, vicinos ad præstanda in pactis promissa adstringendi, sibi, vero solis competeret ad libitum pacta violare hostiliterque alium aggredi. Ex quibus luce meridiana clarius patet, bellum hoc à parte Polonorum defensionis beneficia atq; effectus mereri adeoque, ab illis tanquam prius læsis meliori jure officium, atq; auxilia Evictorum, vigore art. XXXV. & XXXVI. Pacis Oliv. implorari atque expeti posse. Quamvis porro Sueci in subsidium causari velint, facta in oris, quæ Poloniam attingunt, maritimis nullo hostili animo, verum propterea admissa fuisse, ut motæ à Polonis, nescio quæ turbæ reprimerentur, quodque in Pacis Oliv. artic. 35. §. 4to, expresse cautum ac conventum sit: *Quod si vero turbationes vi, contrariisq; actibus retundantur, solummodo tuendorum finim causa, actus ejusmodi pro violatione Pacis non reputabuntur ipsa autem super limitibus controversia extra vim armorum terminetur;* Proindeque absurdum esset, culicem cum Elephanto conferre easque controversias, quæ inter finitimos oriri facile solent, & quarum effectus ac valor provisionaliter in tractatu Pacis jam definitus erat, statim ut hostilitates interpretari. Verum quam absona hæc sit ratiocinatio, ex eo apparet, quod d. §. 4to, sermo de eis solum contentionibus, quæ inter diversarum nationum subditos, in primis ubi incerti fines constituti, ac de iis regundis disceptatur, non raro accidere solent. Quid aliud verba illa, *solummodo tuendorum limitum causa, item: ipsa autem super limitibus controversia,* indicant? Adeoq; quis negare velit commissam  
 auto-



autoritate summi Imperantis Suecici vim armatam hostilis animi vera ac certa indicia esse, eaque adeo aperta, ut frustra sint, qui artificiosis excusationibus in alium sensum ea explicare voluerint.

Ex quibus facile colligi potest quam vanis fundamentis frivolus hic mimus Autorem scripti Regis Polonici nomine editi accuset, quasi allegando artic. 34. Pac. Oliv. sub dolo eum mutilasset, neq; paragraphum hunc adjicere ausus fuisset, cum §. iste rectè ita explicatus non tam Polonos, quam Suecos gravet, eorumque acta nullo modo approbet.

§. LVII.

Cæterum Livonorum antiquitus concessa privilegia nunquam esse a Suecis infracta, verum integra jugiter ac sancta servata esse, larvatus Autor noster variis, sed levibus, & ficulneis argumentis adstruere, ac quæ gesta esse quilibet novit, astute velare studet. Quoties enim illa in rebus maximi momenti successu temporis à Suecis fracta, accisa violataq; fuerint, omnibus ordinum hominibus jam dudum inprimis ex iis quæ supra diximus, satis perspectum est. Præ aliis illud quod Livonis à Sigismundo Augusto Poloniarum Rege concessum erat, Privilegium expungere, ex eoq; probare affectavit, optimo jure id à Suecia abrogatum esse; sed impudenti huic vitiligatori, è voto non succedent, hæ artes ac inventa, quando Benevolus Lector publicata ab Ill. Patkulio, Ministro Status &c. Deductioni unnexa Collectanea Livonica, & quidem num. 17. 19. 20. 21. quibus certa privilegii hujus veritas tufius ac evidentius adstructa est, perlegerit? Quin & ex publicatis eo tempore hinc inde scriptis colligere licebit, quam aperta Livonis, hac in re injuria illata sit, & qua ratione Sueci non dubitaverint, perditissimorum ac sceleratissimorum rabularum opera, ac dolis in causa contra Livonos uti, atque bona legitime quæfita, & longissimo tempore possessa infinitis propemodum concussionibus, ac fraudibus adhibitis, quibus præfectorum durities, atque in clementia vim addidit, eripere.

*Falsum est Livonorum jura sancta servata esse.*

S 3

Quod

## §. LVIII.

*Reliqua in aliud tempus reservantur.* Quod attinet replicam, ad puncta de ponendis inter Poloniam, ac Sueciam limitibus, de invasione Portus Polangici, de Transitu per territorium Polonicum exercitus Suecici ad Prussiam, quæ Brandenburgensibus paret: de creditis Polonicarum civitatum, ac ipsorum Suecorum: de novorum vectigalium exactiōe, de moneta cusa, de *posta*, sive cursorum, ac tabellariorum per Curlandiam itinere &c. Non dubitamus, quin brevi ad omnia ea, quæ tam præfidenter protruduntur, ii qui recta his de rebus documenta in promptu habent, responsuri sint, adeo ut Suecorum causæ Patrono nulla jactandi causa super futura sit, quod tacendo in aliquid consensum, aut mendacia ejus pro veritate habita, acceptaque fuerint.

## §. LIX.

*Epilogus.* Atque sic tandem temporis ratione habita scripti hujus vela contrahere visum, vero solum coronidis loco monentes, cum adversario melius occurrere, nosque defendere nequeamus, quam si eundem, quo ille in aggressione usus est, modum adhibeamus, Suecicique calumniatores vero in opinione essent, licere sibi edita ab hac parte scripta publice, prout factum est, flammis exurere sic optimo Talionis aut Retorsionis jure eandem sententiam in illorum scripta, quæ in hac causa divulgantur, latam esse. Hinc, uti programma sub *lit. N.* hic annexum tradit, omnes hæctenus a Suecis, idiomate Germanico, Latino, Polonico, & Gallico adversus S. R. Majestatem Poloniæ, & Ministrum Status Dominum de Patkul &c. impressi ac bonis cordatis hominibus iratis ac execrantibus in vulgus sparsi, libelli famosi, publice carnificis manu ad diem 27. April. st. v. Anno 1702. concremati. Quod & hic omnibus notum fieri Suecisque adeo ostendi debuit, sufficientia adesse media, viasque, quibus illis par pari, eademque qua dederunt mensura reddi, ac eodem, quo illi usi sunt, jure adversus illos procedi possit; Infamia quoque, quæ ex combustione scripti alicujus in autorem labi leges permittunt, potiori quam ii intenderunt, jure in autores ipsos, eorumque complices recidet, cum vitiosa ac virulenta eorum scripta ejus turpitudinis sint, ut secundum omnia jura meruerint à carni-

carni-

carnificibus, eorumq; fociis exuri. Certiores tandem hoc virtutum ac bonarum mentium ofores, obtrectatores, ac stupratores facimus, si injurias injuriis cumulare voluerint, non defuturos justitiæ amantes, qui vicissim nullo modo imposterum eis parcent, verum eadem, qua ibunt via in eos, procedere non dubitabunt. Quod superest, Lectorem benevolum majorem in modum rogamus, hæc, quæ scripsimus, æqui, bonique consulat, idque cogitet, aliam, contra belluas has se defendendi non suppetiisse viam, ac rationem. Quis enim ad moderatam prætensi Juris vel injuriæ deductionem, ut antea ab hac parte factum, eos inducere unquam potuit? Quapropter secundum illud Terentii. Duro nodo durus quærendus fuit cuneus.

Sequuntur adjuncta quorum in scripto hoc mentio facta est.

*Documentum sub lit. A.*

## Augustus Secundus Dei gratia Rex Poloniarum Magnus Dux Litvaniæ.

**Q**Vandoquidem in præsentis hac in Livoniam Expeditione mens atq; intentio nostra nullatenus est, ut alicui sive Eques, Nobilis, civis, aut rusticus ille fuerit, ullum in corpore vita, ac bonis damnum inferatur, e contrario animi nostri desiderium, ac voluntas illuc collimat, ut non tantum suum cuique factum tectum maneat, sed & omnibus modis commercia, ac fortunæ hujus Provinciæ in meliorem statum efflorescant ac promoveantur, specialiter hujus nostræ Regiæ tutelæ, bonæ intentionis ac gratiæ, omnes ac singulos civitatis Rigensis, aliarumque urbium Livonicarum incolas, ac mercatores ut & omnes in hujus Provinciæ locis & emporiis commercantes Anglos, ac Batavos participes facere, atque hiæ certiores esse volumus. Nos eos omnes, ac singulos sive jure civitatis donati, sive illius hospites sint, cum omnibus, & navibus bonis suis in tutelam nostram recipere, eisque facultatem permittere, durante hoc bello merces suas in Livoniam, tam cum extraneis, quam indigenis libere, ac secure, terra, mariq; sine ullo impedimento, onere, aut nova vectigalium exactione inducendi, atque


que distrahendi. Quem in finem omnibus nostris tam rerum civilium quam militarium moderatoribus ac præfectis injunximus, eos quovis meliori modo tueri, defendere, ac protegere, factaque requisitione, literis securitatis, ac salvi passus prospicere, omniaque humanitatis, ac benevolentiae officia iis præstare. Quare non est, quod prædicti Cives aliique ex Anglia, vel Belgio oriundi Mercatores ullo modo commercia, ac negotia sua turbent, derelinquant, aut fugæ se committant, quin potius in rebus suis, sive in civitatibus sive alibi, tanquam cives aut Extranei constituti degere malunt, liberi ac quieti manere, commerciis, ac negotiis suis adesse poterunt. Hanc ob causam supremo nostri belli Duci id imprimis negotii dedimus, ut quantum in se erit, urbem Rigensem ejusque commercia, denique omnes civitates integras servare ac hostilibus quibus cunque moderatè adhibitis exitium ac damna earum avertere studeat. Quod si vero nimia pertinacia Nobis resistere voluerint, eos tanquam gratia Nostra plane indignos, ferro, flammaque, quin & eorum ædes infestare inviti decrevimus, ut adeo suum, ac fuorum dispendia vel exitium sibi ipsis imputare, Nos verò ab omni criminatione liberos habere debeant.

Quorum in fidem has literas patentes propria manu subscriptas Regio sigillo Nostro firmari, easque, ut in omnium notitiam pervenirent, typis ex scriptas divulgari jussimus. Actum in Regia nostra Varfaviensi a. d. 23. Mart. Anno 1700.

**AUGUSTUS Rex.**

(L.S.)

J. R. Patkul.

 )o( 